BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
B
8
NAPOLI

LB 8

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI STANISLAI KOSTKA S.J. *VITA*

ICONISMIS, SYMBOLIS, DOCTRINIS MORALIBUS

ILLUSTRATA,

AC

EJUSDEM DIVI

SACRIS, APOTHEOSEOS, HONORIBUS

SECUNDIS TYPIS DENUO CONSECRATA

A

Devotiſſimo Convictu Dilingano

ACCESSIT

Brevis Epitome Vitæ, Miraculorum, Beatificationis, ac Canonizationis ex Conſtitutione SS. PP. BENEDICTI XIII. Authenticè deſumpta.

Cum Licentia Superiorum.

DILINGÆ,
Formis Joan. Ferd. Schwertlen, Epiſcop. Princ. Aulæ, & Civit. Typographi.
ANNO Christi M.DCC.XXVII.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible] by Google

DEDICATIO

Sancto STANISLAO

Forti, Innocenti, Pio,
Mundi, Cœli, Numinis
Victori, Pugili, Cultori.
MINIMÆ SOCJETATIS JESU,
VIX GENITO,
MOX ADULTO,
HEROI MAXIMO.
In Religionis Tyrocinio
Perfectæ Sanctitatis Magiſtro.
VIVO
Innocentiæ Speculó,
Humilitatis prodigio,
Modeſtiæ Archetypo,

Vir-

Virtutum Gazophylacio,
DUDUM BEATISSIMO,
NOVO SANCTO,
VETERI INQUILINO,
Sacros Apotheoſeos honores
Devotiſſimo affectu
Gratulatur

Convictus Dilingæ,
Sancti Hieronymi.

Digitized by Google

I.

Explicatio Symboli.

NOn facilè dixeris, plùs Cœlo, an mari Margarita debeat. Primogenita hæc Nympharum naſcitur in mari; educatur in undis; adoleſcit in fluctibus; maturatur inter Delphinas. Mare pro balneo fuit, è quo cygneum corporis ſui candorem retulit: undis Cryſtallinis illuſtrem argenti ſui fulgorem in acceptis refert: ſaltantes procellæ conglobârunt in orbem: ſalſus ſali liquor conſolidavit in unum & unionem. Secura inter fluctuum amplexus circumfertur per mare, quaſi nativum regnum, & in concha velut natali reſidet throno. At Cœlum etiam argenteam hanc cymeliorum Helenam ſibi vindicat. Nunquam concipitur, niſi concha hiante ore rorem matutinum excipiat. Nunquam naſcitur niſi natum in aëre ful-

gur terræ irradiet. Nunquam creſcit, niſi Sole oriente incipiat creſcere dies. Argentea Luna confert argentum; ſplendentia aſtra tribuunt ſplendorem; clari planetæ communicant claritatem; via lactea donat candorem; rotunditatem dat globus Empyreus; & credo, ſoliditatem jure hæreditario accipit à firmamento. Vix calidiùs olim geminæ illæ Matres in curia Salomonis pro infante perorabant. Sed enim mare cadit causâ ſuâ. Ne Novercæ quidem nomine dignum eſt, quòd candidiſſimam Margaritæ innocentiam prædatrici mortalium avaritiæ venalem offerat, ut mancipij inſtar ad luxum & ſuperbiam ſexui ſequiori ſerviat. Cœli ſoboles eſt. *Non terræ hæc debita proles.*

II.
Narratio Vitæ.

NOvam hodie Margaritam mundo edidit Margarita Kriska, fœmina lectiſſima filiolum lectiſſimum. Libens poſthac quievit à partu, quòd de fœtu perfectiore deſperaverat. Et cùm ad prolis laudem

dem non parùm pertineat, naſci ex bono ſemine, conceſſus in Patrem eſt Joannes Koſtka, Nobilis Polonus, Nobilior Chriſtianus. Tranſit in liberos cum ſanguine imago Patris; & licèt omnis ſanguis concolor ſit, ſæpe tamen in eo imagines apparent diſcolores. Majores, quorum alij ſagum, alij togam illuſtrârunt, redivivi fiunt in Stanislao. Colligit ſparſas per ſingulos virtutes, & ita ſuccedit magnis majoribus, ut incipiat illis eſſe major. Omitto igitur externa, quanquam domeſtica; & Stanislaum de ſuo laudo. Nemo dives eſt alienis divitijs. Hæc vera magnitudo eſt, magnum eſſe de ſuo. Prodigioſæ vitæ prodigioſa præluſit conceptio, & ſanctiſſimum JEſu nomen, quod viſibili charactere in utero materno legebatur, jam tunc latentem prodidit Jeſuitam. Scilicet hoc magnarum rerum privilegium eſt, videri ante ortum, & deſiderari poſt obitum. Viſæ ſunt creſcenti Charites, & majora Numina obſtetricari, ut novo conſortio hinc innocentiam, inde amorem, amabili, ſed modeſto vultu ſpiraret. Parvo corpori excelſam animam infuderunt; nec enim alius Angelicam materiem decuit in-

quilinus. Suaviſſimo genio formam ſociârunt longè gratiſſimam, qualem ſibi Cœleſtes Genij adſciſcerent, ſi in corpore humano ſpectabiles ſe exhiberent. Quis jam neget, Margaritam noſtram magìs Cœlo, quàm terræ deberi? *Non terræ hæc debita proles.* Et verò agnoſcunt beneficium grati parentes. Quem à Deo accepêre, filium Deo offerunt. Fit ſupplicatio; cum novo Jeſuita erat ſupplex JEſus. Nullùs hanc ſupplicationem æquavit triumphus. Pars ſupplicationis erat Chriſtus, & ſpectator DEUS. Comitantur parentes, & lætantur, dum donant; licèt ignorent, quod ſperant. Quid facerent, ſi futura præſcirent!

III.

Doctrina Moralis.

HUic ego te gemmæ geminum volo; Timothee; redde, quod debes. Figuram cordis tui triangulam eſſe, docuit te Ethnicus Philoſophus, ut obligationem tuam diſceres Chriſtianus. Virtute Patrem, colore Filium, calore Spiritum Sanctum repræ-

præſentat. Progenuit Divinus Pater verbum Divinum; progignit cor verbum humanum. Sanguine velut purpurâ rubet Filius;rubet & cor,velut prophyrogenitus, natũ in purpura,quia ſanguinis eſt officina. Ardet Divinus Spiritus, ignis è Cœlo miſſus, ut accendat megacoſmum. Ardet & cor, immiſſum corpori, ut calore ſuo foveat microcoſmum. Cura, ut ita ſe extendat iſtud triangulum, ne unquam deſerat ſuum centrum: aliàs triplicem committis injuſtitiam. Aut enim Divina veritas vera non eſt, aut tota increata trias ad fabricam cordis tui commodavit operam: quod eum in finem effinxit accuratiùs, ornavit copioſiùs, ditavit liberaliùs, ut delitioſum in terris haberet hoſpitium, quoties cum filijs hominum luberet delitiari. Ecce Jus Ædificationis! Accedit legitimus poſſeſſionis titulus. Difficilè aliàs latet DEus. Apparuit in præſepi ſub fœno, & ſub nihilo. Etiam in ſpelunca aulam,in paleis thronum, in throno DEum agnovêre tres magi, & ad pedes infantis advoluti etiam ſe viri fatebantur minores. Ipſi adeò Bos & Aſinus poſſeſſorem ſuum cognoverunt. Ecce Jus Poſſeſſionis, niſi infra bruta velis ſapere!

Plùs dico. Avidus cordis tui Homo Deus octavo jam die voluit ſanguinem fundere,ut citò pretium ſolveret, & quod tibi emancipaverat, cor ſibi redimeret. Offerebat autem partem ſanguinis, & quærebat, à Patre, an ſatis foret? Negavit Hic, ſufficere hoc pretium, quamvis infinitum: admiſſum eſſe vadimonium ea lege, ut cautio moreretur. Annuit Filius, & ſanguinem in agonia per omnes corporis poros, in flagellatione per quinquies mille validiſſimos ictus, in Coronatione per ſeptuaginta duos Spinarum aculeos exprimi voluit. Ibat oneratus Cruce ad Crucem DEus, ac medio in itinere ſub onere Crucis ſepties ſuccubuit, ac ſanguinare cœpit. Heu! quale pondus, quo opprimitur ipſe DEus! Tandem ferali lanceâ apertum latus reſiduas ſanguinis guttas in Cruce emiſit. Ecce Jus Emptionis! Vide, Timothee, quanti venditur tuum cor! ſolutum eſt totum pretium. Redde, quod debes.

I.
Explicatio Symboli.

IN pumilo Gigantem vides, tenello in ramo inter arbores maximam. Magna, & Cedro digna loqui oportet, quæcunque de Cedro dixeris. Nil certè in illa humile, magna omnia; ſemen ſi excipias, ex quo gignitur: quanquam in parvo hoc etiam hoſpitio magna jam anima reſideat. Vix alibi, quàm in altiſſimis quibusque montium hæc ſoboles concipitur; ut ardua nempe matre proles haud minor prodeat. Creſcit ventorum inter prælia, à quibus quo magìs depreſſa vapulat, eò eluctatur altiùs. Seneſceret inter nubila, ni ſenij expers perenni vigore perpetuam juventam ageret. Porro ad excelſa quæque hæc Libani gloria naſcitur. Salomon certè, quò dignam in terris ſedem Deo exſtrueret, ex Cedro & auro erexit; quaſi rerum æſtimator ſapientiſſimus eodem in pretio cum auro cedrum haberet: aut ne alia, quàm immortalis arbor immortale numen tegeret. Humanum jam prope genus in annuo illo mundi naufragio periit; ſaluti Cedrus fuit,

ex qua verus Deucalion Noëmus centenariam illam machinam fabricavit, quæ felices animalium hominúmque reliquias in portum extulit. Atque eo, credo, ex tempore immortalitate hæc arbor donata eſt; ne periret ſcilicet per quam orbis denuò vivere incepit. Perennat jam omne, quidquid in Cedro eſt; ſuccus ſcilicet, lignum, folia. Hæc virent perpetuò; ille putredinem non admittit; iſtud cariem neſcit. Orbis quondam miraculum ſtupenda illa Dianæ Epheſinæ fabrica audiit. Mirum non eſt; ex Cedro erat, in qua tot prodigioſæ magnitudinis portenta, quot trabes cedrinæ, Cœlo quippe vicina eſt arboris hujus proceritas, quæ vel ideò immunis à fulmine, quia ultra fulminum officinas arduum ſupercilium erigit. In parvo igitur jam ſurculo regem arborum, in humili ramuſculo proceræ magnitudinis prodigium mirare, & tecum, *quàm quondam ſublimis erit*, tacitus exclama!

II.

Proſecutio Vitæ.

IN domo bene morata debet prima, & æterna conſuetudo eſſe Cultus DEI. La-

bo-

bores, qui à pietate indicuntur, ne primæ quidem infantiæ condonandi ſunt. Pij parentes tamdiu ſe nihil dediſſe reputent, quamdiu filiis ſuos mores non dederint. Nemo enim ſummè diligitur, niſi cui amicus Deus optatur, & procuratur. Non potuit Maria, non voluit Joſephus partibus ſuis deeſſe; ſed omnem in educando JEſulo curam poſuêre: quamquam ibi humanam culturam, & naturam dudum Divinitas prævenerat. Obſervaverant munus ſuum Parentes Stanislai; quem mater in templo receperat, templo deſpondit; quem nacta eſt liberum, DEO reddidit Servum. Inde factum, ut Parvulus noſter in vita & obitu eſſet infra fidem, ſupra opinionem. Qui puerulum videt, jam de viro divinat: *quàm quondam ſublimis erit*! Certè crederes, provectiori mundo creviſſe ingenium; & naturam, quæ hactenus homines genuit, nunc Angelum edidiſſe. Vix utero egreſſus, ſolitudinem ingreſſus cum Angelis Angelus, cum mutis mutus vixit, & quod loqueretur, tacendo didicit. Ipſe DEO, ipſi DEUS Virgineum florem ſervavit, munúſque impetravit offerendo. Novum fœnoris genus eſt, DEO fœnerari:

 dare,

dare, quod acceperis, ut luculentiùs recipias, quòd dederis. Totum negotium erat, ſupplicare ad aras, quas ipſe merebatur; & implorare Patrocinia cœlitum, olim ipſe inter Patronos futurus. Penè omnis ſermo illi de DEO: quid enim aliud eructaret, quàm quo plenus erat! Non aliter loqueretur virtus, ſi loqui ore humano poſſet. Singula verba erant gemmæ. Nulla virtus eſt, quam non doceret; nullum vitium, quod ſanctis moribus non argueret. Talem egit pueritiam, ut nunquam puer eſſe videretur: ita leve moderabatur corpuſculum, ut nihil unquam leviter facere ſit deprehenſus. Propè infans ſatis doctrinæ habuit, ut omnes erudiret; ſatis ſapientiæ, ut omnes inde ſaperent. Si tales eſſent Germani, quales Polonos inſtruxit Stanislaus; aut Germani eſſent Stanislai, aut Poloni eſſent Germani.

III.

Doctrina Moralis.

A pueris DEO ſervire, hoc demum eſt Timothee, quod *unum neceſſarium* divina

vina veritas atteſtatur. Hoc negotium agere debent Reges, dum Regnorum gubernacula verſant; hoc ſacri Præſules, dum Eccleſijs præſunt; hoc Duces, & milites, dum bella gerunt; hoc mercatores, dum commercia exercent; hoc Fabri, & Artifices, dum officinas animant; hoc litterarum ſtudioſi, dum libris impalleſcunt. Monſtrum foret ſol inter ſidera, qui non luceret: & prodigium inter conſuetos naturæ limites cenſeretur ignis, qui non calefaceret. Quippenî Monſtrum ſit homo, qui Deo non ſerviat? Neceſſe non fuit, ut homo in mundo exiſteret: ſed ſi aliquando exiſtit, neceſſe eſt, ut totus ſit DEI. Olim quidem probroſum erat ſervi nomen; hodie prima dignitas eſt, & ſupremæ Majeſtatis ambitio, quæ ſe ſervum ſervorum inſcribit. Prima Orthodoxi Senatûs Seſſio, quæ Chriſto præſide in monte Thabor celebrata eſt, felicitatem hominis definivit, *eſſe obſequium DEI.* Indulſerat Bacchanalium licentiam Epicurus; ſed beatitas iſta beſtiarum fuit: proſcripſit illam è ſuis Theſibus DEUS, & oppoſito veritatis Decreto Anathema dixit vulgatiſſimæ de felicitate hæreſi. Ceſſit diſputatio tam feliciter, ut Areopagô Judice

dice, circô gladiatores evocârit. Similiter feris eremos eripuit, & Aſcetis tradidit: minuit naturæ monſtra, & auxit gratiæ miracula; quia Faunis pudicis ſylvas exhilaravit. Urbes demum implevit Protheis, ſed qui in ſolam proximi ſalutem verſatiles eſſent. Ita explosâ mundi ſapientiâ novam, verámque felicitatem omnes quæſiêre Age igitur, quod primum debet, nec absque ſummo tuo commodo poteſt agi. Quidquid extra finem ſuum eſt, infelix eſt, informe eſt, vitioſum eſt. Age negotium, in quo vertitur felix æternitas. DEus ab omni æternitate cordi habuit hoc negotium. Filius DEI mortuus eſt in cruce propter hoc negotium. Angeli noſtri boni operam ſuam conferunt in hoc negotium. Mundus non eſt conditus, niſi propter hoc negotium. Si ſolus hoc negotium negligis, homo non es, ſed umbra es, ſed ſpectrum es, & monſtrum hominis. Et quid ages, miſelle! velis, nolis, Servies DEO. Alterutrum neceſſariò, & citra ullam immunitatis ſpem agendum eſt. Aut enim mandanti DEO obſequêre? & bonitatem Dei glorificabis in Cœlo: aut rebellabis cum Sathana? & Juſtitiam Dei glorificabis in inferno. Elige modo, quod obſequij genus placeat. I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

THavmaturga Natura etiam in antipathia mirabilis eſt. Cur enim Braſſica Rutam; vitis Hederam ita refugit, ut juxtà plantari nolit? Cur Gallinaceus pullus, vix natus, accipitrem, vel longè conſpectum, adeò metuit, ut mox ſub matris alas confugiat? Cur, ſi lupina cauda ex boum præſepio ſuſpendatur, jumenta cibos faſtidiunt? Sed illud omni miraculo majus, quòd agninæ fides rumpi malint, quàm lupinis concinere. Explico myſterium. Antiquiſſimus Jubal teſtudine ac cheli primus ludere docuit. Planetarum concentum Harmonicum eſſe putabat, & errabat Pythagoras. Doctior Jubal ultrà progreſſus eſt, & Angelicæ Harmoniæ furatus imaginem, immortalium delicias mortalibus fecit communes. Paſcere debebat oves, non tondere; ille verò etiam cutem detrahere, & ſecta pecudum viſcera tam dextrè verberare, ut cùm equuleo torti gemerent agnelli, læti ſaltarent paſtores. Imó nocentiſſimus hic homo etiam mortuis invidit innocentiam.

Ovi-

Ovículas ſociavit lupis, & lupas conjunxit agnellis. Et certè periclitata caſtitas fidem fregiſſet (latet enim inter fides inſidus Cupido) niſi mortua bruta præ vivo ſaperent homine, & ovina chorda diſſilire mallet, quàm inter lupinas temerè ſalire. Quis neget, digniſſimas eſſe oviculas, ut etiam mortuæ imperent? Caſtiſſimæ illarum membranæ id honoris habent, ut principum ac regum mandata excipiant, eáque ſubditorum oculis legenda exhibeant. Glorioſa Antipathia, ubi *vel ſonus iſta poteſt*!

II.

Proſecutio Vitæ.

AMica Dœmonis ſtatio Auris, & lingua; adeó lubricæ facultates ſunt. Cum his homo malus eſt; ſine his homo miſer eſt. Nec facilè morbus curatu difficilior. Alias ægritudines ſola voce curavit Salvator; cum ſurdum, & mutum ſanaret, ipſis Dei manibus opus erat. Quin ſublatîs oculîs Chriſtus Cœlum conteſtatus eſt, dolere ſe, quòd ea peterentur beneficia, quæ majori ſæpe beneficio negarentur. Linguam præſertim à vin-

vinculis invitus ſolvit, quòd ſoluta vix ullis habenis bene regatur. Jam pridem ab urbibus verecundia verborum exulat. Domorum angulos rimare; ferè ubique ſibilabunt hi colubri, & inceſti impunè volabunt ſermunculi. Inter profanos tanta turpitudo, quanta libertas: tanta obſcœnitas, quanta licentia. Vix uſpiam invenias, qui verecundo gemitu Bernardinum agat, & ſeveriore aſpectu procaces Linguiſtas flagellet. Tanta erat in hoc juvene veneratio pudicitiæ, ut ad ejus aſpectum etiam impudentiam ſui puderet. Hodie ſcelus penè in virtutem abijt. Ut enim flagitium honeſto nomine prætexant, iſtam oris ſpurcitiem comitatem aulicam appellant, Ut bis peccent, peccatum virtutis titulō vendunt. Si exemplum linguæ, malè ſolutæ, deſideres, convivium pete, quod Stanislai parens lautiſſimum paravit. Videbis ibi hoſpitem ingratiſſimum; qui ut occiſa rependat altilia, homines tentat occidere. Mortem in manibus linguæ ſuæ gyrat, & tam venenata ſpicula laſcivus vibrat gerro, ut turpiſſimè obijſſet Stanislaus, niſi deliquium paſſus, pulcherrimè humi defluxiſſet.

III. Do-

ſtygij aucupes affigant. Nullibi tamen æquè nocet hæc lingua ,quàm ſi in profanis theatris audiatur. Leniter allabitur inter modulos, nec modum ſervat; dum aures afficit , animos inficit. Canori imbellium pecorum nervi generoſos ſpectantium enervant ſpiritus, & arcu eodem feriuntur chordæ, & corda. O novam, & diabolicam nocendi artem ! Ornatur ſcelus , ut placeat; docetur, fieri poſſe, quod factum eſt. Quod meretur pœnam in Judicijs, & ſcholis, fert plauſum in theatris. Docetur hîc ars amandi, quæ magiſtro non eget: & diſcunt pueri, quod ſcire vix debent viri. Laudantur artes adulterij, & probat adulter: docetur pudica, quomodo fieri debeat adultera. Amittitur pudor , dum ridetur. Corrumpitur primùm auris; deinde animus. Tranſit ſcelus in exemplum. Omnis ætas fit impudica. Qui priùs Muſas didicerant, nunc amant; & quæ venerant Minervæ, redeunt Veneres. Ita Comœdiæ in Tragœdias deſinunt. Malè ſit obſcœnis actoribus! Complementum miſeriarum, & ultimus quaſi epilogus eſt in infante, mutum eſſe, non habere dentes, non linguam ſolutam; non miſerias expli-

care; non opem implorare poſſe. Sed hem! Prodigioſam Divini Archiatri charitatem! Ille ſyllabas, vocem, verba, loquelam largitur homini, & ex infante facit fantem. Vah! ingratiſſimum, ſi loquatur, quod ſilendum! Balthaſar Rex impietati miſcebat ludibria; & cum inter fœminas vir, vel potiùs fœmina inter viros aſſideret, è ſacris Calicibus propinavit convivis, jam ebrius, antequam biberet. Et ecce! Aperta manus operto vultu ferale decretum ſcripſit. Eâdem adhuc nocte apud inferos cœnare debuit. Superi! Quæ pœna manebit, qui animi ſui veſtibulum, quo divina Euchariſtia excipitur, in proſtibulum diaboli mutant; & linguam, cœleſtis epuli ſedem, Veneris interpretem faciunt? Furiæ te omnes, laſcive blatero; qui tegenda, & tacenda nec tegis, nec taces! Nemo te protegat; nemo de te taceat. Paullùm exſpecta, & vereri incipies, quem deſinis revereri.

I. Ex-

I.
Explicatio Symboli.

PRincipium numerorum eſt Unitas, Græcis alpha, Latinis minimo conſcripta ſpatio virgula· Sive cum Latio, ſive Græcia ſentire placeat, virtutem illi ineſſe Divinam crederem, niſi Teuth, Ægyptiorum Idolum, ſeu Dœmon potiùs, numerorum, & computandi inventor eſſet. Vis certè unitatis tanta, ut per illam omnia, ſine illa nihil ſint cuncta. Figmentum Poëtarum eſt Promethei virgula, qua ignem ille, Phœbo ſubtractum, in terras detulit, eóque inanimi luto vitam accendit. Veritas eſt, ab unica virgula, ſeu linea, tot valentes ex nihilo numeros procreari, quot vacuos, & ſine nomine inanes circulos pinxeris. Hîs etſi integras membranas impleveris, numerus tamen ſine nomine, imò nihil erunt ſinguli. Adde unitatem, & dabis valorem ſingulis, tribues pretium omnibus; vitam quaſi inſpirabit unitas, & ex nihilo numeri prodibunt innumeri. *Hanc adde, valebunt.* Audi majora. Mundus, qui ab æterno non potuit, nec in tem-

pore exiſteret, niſi ab æterno exiſteret DEUS; non autem exiſteret DEUS, niſi daretur unitas. Non eſſet id, quo nihil eſt melius, niſi eſſet ſolus. Si eſſent plures, ſinguli haberent ſua, nullus omnia. Deeſſet igitur alteri, quod alter habet; at ille DEUS non eſt, cui aliquid deeſt. Nullitas numinum eſt pluralitas numinum: unitas DEI, eſt veritas DEI.

II.

Proſecutio Vitæ.

QUod in numeris eſt unitas; in ſcientijs eſt virtus. Philoſophus eſt abſque nomine, qui vivit abſque virtute: Imò vivens mortuus eſt, quia ſola virtus ſapientis eſt vita. Virtutem deme ſcientijs, jacebunt exanimes: *hanc adde, valebunt.* Penetravit hanc veritatem Stanislaus, cujus vita vera fuit Philoſophia; quia idem ſemper putavit vivere, & ſapere. Brevem ætatem victurus, extendit annos virtutibus; & ſtatim talis fuit, qualis erat futurus; ne ſapientia brevior eſſet, quàm vita. Imò novam invenit artem ſapiendi, quam ipſa ſapientia neſciebat. Hacte-

Hactenus aliter ſapiebant cœlites; aliter homines. Conflavit ex duabus ſapientijs unam, & fecit ſibi propriam. Ex primo Principio omnia, in omnibus primum Principium didicit. Interrogatus aliquando Doctor Seraphicus ab Angelico, cui libro ſtuderet? Oſtendit pendentem è Cruce hominem DEUM. Illuſtris liber, ſcriptus intus & foris! Hunc ipſum librum meditabatur Stanislaus; nec aliunde, niſi à DEO haurire potuit, quæ de DEO in colloquijs ſubtiliter dixit; quæ in ſcholis eruditè compoſuit. Breviſſimo tempore in hoc uno libro invenit, quæ alij longiſſimo in pluribus non reperêre. Parùm adhuc dixi; eodem tempore diſcipulus & Magiſter fuit: docuit enim virtutes, dum literas didicit. Mali mores bonos mores infecerant. Ætatem vitijs anteverterant homines, nondum viri, jam Patres; nondum adulti, jam adulteri. Argumentum deformitatis erat pudicitia, non pudicitiæ deformitas. Penè unus in corrupto ſæculo integer eſſe auſus Stanislaus; & quos in ſcientijs coævos nactus eſt, habebat ſuarum virtutum diſcipulos.

III.

Doctrina Moralis.

EX quo Apoſtoli Athenas per orbem circumtulêre, omnis vera literatura de JESU eſt; plena definitur Philoſophia, Illum ſcire; plena Sapientia, Illum diligere. *Hanc adde, valebunt* literæ. Hæc ſi abſit, tantundem, nec plùs prodeſt ſcientia, quantùm ala unica aquilæ ad volandum; quantùm una rota ad promovendum currum. Non volamus, niſi geminis alis; nec in altum provehimur, niſi geminis rotis. Cœlum eſt anima; ut bene conſtitutum ſit, geminis aſtris illuſtrari neceſſe eſt, ſole virtutis, & lunâ ſcientiæ. Solem à Zodiaco dele, & diem eripuiſti megacoſmo. Solem aufer ſtudioſo, & omnem microcoſmo ſplendorem ademiſti. Salomon, prudens ille puer, effœminatus vir, & ferus ſenex, unus mortalium omnia ſcivit, nihil didicit: ipſo Adamo doctiorem pronuntiat Toſtatus, & quinque librorum millia ſcripſiſſe affirmat Joſephus. Quod maximè mirêre, prudentia, quæ aliàs juvenes fugit, ad juvenem Salomonem venit,

& ſatis ſecuram ſe putavit, quamdiu pudico parvulo candor pro canicie fuit. Sed heu! Nihil absque virtute mortalibus tutum. Tantum ingenium marcuit, cùm maturuit; & factus eſt in ſenectute infans, qui ſenex erat in infantia. Tantæ cauſa dementiæ libido. Amare cœpit, quotquot vidit; voluit, quotquot amavit; habuit, quotquot voluit; adeò ut vel ipſa ſtuperet Natura, fœminis omnibus unum virum ſufficere, non omnes fœminas uni viro. Sic effœminatus Sapientiam amiſit, Veneris perfidiâ, quæ in alios nunquàm mitior eſt, quàm in proprium filium; dum Amantes perinde excæcat, ac Amorem. Igitur ſcientiam pietas, & pietatem ornare debet ſcientia. Nimis verecundus Sponſus eſt Spiritus Sapientiæ; non niſi pudicas eligit Sponſas. Vitæ Sanctitas in cauſa fuit, quòd Chriſtus catenatam per aures concionem traheret. Ubi divinus hic Roſcius egit, illico juſtitium erat. Vacabat à lucro inſtitor, faber à malleo; & ne ipſi quidem morborum compedes tenebant ægrotos, quin ad dicentem confluerent. Quid? quòd ipſis mortuis ſui deſiderium excitârit. Accurrere voluit extra Naim viduæ filius; & quia ali-

aliter venire non poterat, unà cum feretro afferri debuit. Etiam Auguſtini eloquentia, & Ambroſij ſuavitas tibi nihil proderunt: quia verba absque virtute virtutem non habent. Sciolus eris, non tam peritus, quàm periturus. Ferrum eſt in manu amentis ſcientia in capite impij, quâ ſe, & alios malè perdat. Fax eſt in manu incendiarij, quâ ſibi, & alijs infernalem flammam ſubijciat. Oleum, & operam perdis, quamdiu, neglecta pietate, ad nocturnum oleum libris impalleſcis. Suſpirabis olim, ſed nimis ſerò, quod adhuc in tempore deploravit Magnus Aurelius: Surgunt indocti, & Cœlum rapiunt; nos verò cum noſtris literis ad inferna demergimur! Plùs dico, & abſolvo. Absque virtute homo non es, nedum ſapiens; quia finem non obtines, propter quem DEUS hominem fecit. *DEUM time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo*, ait ſapiens. At enim ſi hoc eſt omnis homo: ergo absque hoc nihil eſt omnis homo.

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

NUnquam magìs, quàm ad ignem, veteres cæcutiêre ; nec adeò unquam cerebrum illis ad deliria incaluit, quàm cùm de natura ignis diſputârunt ; quem dum DEUM quendam eſſe, conati ſunt probare, nunquam ſe minùs homines, intellectu præditos, oſtenderunt. Fuère ſubinde alij, qui ipſam adeò humanam animam, ex igne conflatam, contenderunt. Verùm ſomnia hæc credulæ nimiùm, & ſuperſtitioſæ antiquitatis fuêre. Sublimis nimiùm hæc de igne fuit opinio. Mirabiles nihilominus effectus ſunt ignis ; mira illius indoles, atque Genius ; libertatis adeò amans, ut nullis coërceri repagulis, nullis includi cavernis poſſit. Agilitatis eſt tantæ, ut vix non citiùs vicina quæque corripiat, & nativâ vi in ſuam naturam convertat, quàm ea admoveris. Volucrem Perſei curſum per cœlos antiqui olim vates celebrârunt ; Enceladum quendam, per aſtra ſine alis volantem, etiam noſtra miratur ætas. Tubulum papyraceum, pyrio

rio fœtum pulvere, aſpice. Iners & ignobile pondus eſt, terræq; affixus hæret: at ubi primùm concepto igne claras in faces ſemen micuit, alas extemplo calor addit; tollitur in auras; ut radioſum quoddam portentum per ſidera ferri crederes, aut igneum Draconem ſuo, quo latè ſuperbit, ſyrmate aëra accendere. Nec mirum; *Elevat ardor.*

II.

Proſecutio Vitæ.

Apage, profane Atomiſta! Quàm malè de anima ſentis, dum illam cum Pythagora in atomos dividis, & cum Democrito diſpergis in ramenta? In Hippone penè naufragium facit, qui aquam credit; penè apud Leucippum abit in cineres, qui ignem putat. Quàm inanis eſt in Diogene, qui aërem; quàm mobilis in Critia, qui ſanguinem; quàm Levis in Heraclito, qui vaporem eſſe defendit? Apertæ falſitatis convincit hos Stanislaus, & Spiritum immortalem eſſe demonſtrat ad oculum, quando ipſe, dum adhuc mo-

ratur in terris, jam DEO conſueſcit in cœlis. Verè anima magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat. Poſtquam hominem alloqui DEUS deſijt, tempeſtivo officio Doctus eſt homo, DEUM alloqui. Magnus inde in DEUM redundat honos. Nam cùm ignotus DEUS omnia noſceret, magna ſpargebat munera, ſed vel ingrata, vel ingratis; quia ſuſpectum beneficium eſt, quod ab ignoto venit. Agnoſcit beneficia, & authorem Stanislaus; aris adgeniculatur, brevì ipſe imponendus aris: admirabili modeſtiâ inſervit Litanti Myſtæ, pauló pòſt ipſe futurus victima: adorat Mœcenatem occultum; amat Sponſum abſconditum; mori cupit, ut videre poſſit. Olim debita ad DEI cultum attentio Devotis Chriſti parentibus ne quidem indulſit veniam, ut de tanti pueri cuſtodia cogitarent. Ab affectu decepti ſunt ſuo, & non niſi ſerò cognoverant, ab oculis aufugiſſe, quem adhuc in corde habebant præſentem. Nunquam aut minori piaculo amiſſus, aut majori ſolertiâ quæſitus eſt Deus. Tantum fervorem imitari videtur devotiſſimus Stanislaus; in altum tendit, & orantem *elevat ardor*, quaſi præſentis in ara DEI obli-

livi-

liviſceretur. Fallor: ut amiſſum quærat; extra corpus avolat; & jam celebrat ſponſalia in tempore, cui nubere petit in æternitate.

III.

Doctrina Moralis.

ADeò bonus eſt DEUS, Timothee, ut præter eum nemo ſit bonus. Nec intra DEUM ſtitit hæc bonitas: particulas ſui demiſit, cùm mundum condidit. Major portio bonitatis homo fuit. Totam ſe effudit, cùm DEUM hominem fecit. Tranſit bonitas jure hæreditario à Patre ad Filium. Hic ut etiam poſt mortem bonus eſſe poſſet, jam redivivus, & immortalis, invenit novum genus benefaciendi. Inſtituit ſacrificium, in quo victima eſſet. Quoties immolatur, toties ſe ipſum tibi donat, & pro te myſticè moritur. DEUS bone! Quanta hîc res agitur! In altari magnus magni DEI Filius, & quidquid ad DEI Filium pertinet, à Sacerdote conſtituitur. Adeſt, qui infinitus & finitus, DEUS & homo eſt. Homo eſſe voluit, ut

ut pro te ſolvere poſſet. Itaque amat te duplici affectu, humano & Divino; & idem bis eſt liberalis, ut tribuat; bis miſericors, ut parcat; bis potens, ut protegat. Toto Empyreo non contentus, excurſiones aſſiduas agit in terram. Nulla voluptas illi regnare, niſi regnet cum multis. Occupat propè omnes jam ſolus; ipſe Sacerdos, ipſe victima, ipſe omnia eſt. Coram hac Arca Dagones corruunt, & in cineres ſoluti, ſepulchra, non aras expoſcunt. Mars & Neptunus, Venus & Apollo ſine victimis nunc longa agunt jejunia. Roma ipſa, quæ tota Pantheon fuerat, per piſcatoris annulum huic uni deſponſa eſt; & ut pro meliore hac, & Divina victima grates referret, dudum de Diis ſuis multiplicem Hecatombem obtulit. Trahunt hæc miracula Cœlum in terram. Deſiderat Pater æternus videre Filium, cui omnia ſua dedit, ut eſſet æqualis; & imaginem ſui fecit, ut eſſet ſimilis: qui parentis etiam omnipotentis fœcunditatem ita exhauſit, ut illi fratrem dare non poſſet. Advolat Divinus Spiritus, qui cùm intra DEUM nihil invenerit, quod produceret, quia nihil defuit, quod adderet; gaudet, quòd

mor-

mortalia Cœleſtibus tam dextrè copulârit, ut, quod unum deerat univerſitati miraculum, feliciſſimè expleverit, quando DEO hominem, Virgini Matrem ſociavit. Approperat Diviniſſima Mater, & attonitæ ſimilis ſpectat repetita miracula, quæ olim in utero ſuo contigêre. Accurrunt Angeli, & procumbunt, cùm myſta DEUM *Sanctum* proclamat. Complicant alas, & velant facies ſuas, quia tantam majeſtatem non ſuſtinent. Inclinatur Cœlum ad reverentiam, cùm Dominum ſuum attolli videt. Tremit orbis univerſus, & adorat, quod metuit. Superi! Quid enim hoc portenti, ſi adoleſcens tantis intereſſe Myſterijs negligat? Obſecro, an tu ocyùs accurres ad mimici hiſtrionis, aut larvati rabulæ ineptias; & tam ſancta, tam gravis, tam modeſta, tam prodigioſa actio diſplicebit? Patibulum furi erigite! Auſu temerario Sacroſanctæ Triadi honorem, Generi humano fructum, purgantibus animabus Cœlum, animæ ſuæ totam æternitatem furatur.

1. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

ARtifex ſanè opus eſt horologij machina; ingenioſum inventum Dædali. Vel tacitum cum Cœlo fœdus habet: vel Phœbi nuntium eſſe oportet. Quidquid Cœlum quavis horâ fieri à nobis imperat, id artificioſa hæc ex turri moles ſonoro verbere denuntiat. Quidquid ſol ſeu de die, ſeu de nocte agat; num ſurgere illi ſcilicet, num ad Antipodas inviſere, an verò meridiari placeat; vocalis iſte Mercurius refert. Majora dico. Urbes integras, regna ampliſſima inanimis iſte morum Magiſter ordinat. Docet, & inſtruit; monet, & excitat; morémque monenti quævis bene morata gerit reſpublica. Unico monitoris hujus nutu opus eſt, & obſerantur, vel panduntur portæ urbium; recluduntur officinæ; laborem auſpicantur opifices; odea pueri repetunt; mercatores forum, ſenatores curiam frequentant; omnes denique ex horologij ductu negotia ſua dirigunt. Imò, quod nemini adhuc mortalium licuit, annulari Caroli Quinti horolo-

rologio conceſſum eſt, ut ad quemvis horæ pulſum ipſum impunè Cæſarem pungeret. Ordinatam porrò in ipſo horologio videre eſt rempublicam; in qua mallei, funes, & dentatæ rotæ, ſtriato axis verticillo commiſſæ mutuò, fœderatæq́, civium inſtar ſunt, qui omnes ab uno rectore, à rota principe, diriguntur, ne ſubditi ceſpitent, totum opus hallucinetur, ac hæreat. Unum infernè impendens onus totam molem exagitat; nulla illi requies; motus perpetuus, labor continuus; *neque noćte à verbere ceſſat.*

II.

Proſecutio Vitæ.

VIvant Modiſtæ! Nihil poteſt magis eſſe unitum alteri, quàm anima corpori. Sed & nihil minùs unitum alteri, quàm anima corpori. Quando corpus progreditur, retrograditur anima; quando corpus aſcendit, deſcendit anima. Si anima eſt ſana, ægrotat corpus; ſi corpus valeat, infirmatur anima. Utrumque ut ſimul pergat, ſimul aſcendat, ſimul valeat,

leat, Angelus pœnitens ſis, oportet; qualem tibi in Stanislao ſiſto. Quid autem hoc rei? Stanislaus eſt Angelus; ergo eſt innocens: quomodo ergo eſt pœnitens? Stanislaus eſt pœnitens; ergo eſt nocens: quomodo ergo eſt Angelus? & Angelus eſt; & Pœnitens eſt. Angelus; quia vitam Angelis ſimillimam vivit. Pœnitens; quia quæ non fecerat punit peccata; ut etiam deinceps non faciat. Magnifica quidem res eſt Lilium, & ipſo Salomone in ſua gloria longè ſuperius. Ingenti Majeſtate criſpati caulis exſurgit in altum; magnâ foliorum pompâ explicat calicem; copioſam campeſtris argenti lucem circumquaque diffundit. At quàm Majeſtate plena eſt hortorum hæc Nympha, tam delicata eſt, & corruptelæ obnoxia; quàm florida, tam propinqua deflorationi. Unico tactu flacceſcit, nullibi tutum, niſi inter ſpinas. Adverterat ea res Stanislaum; hinc ut florem ſuum ſervaret intactum, illum *Horto concluſo* commiſerat. Et ne ſuis etiam deeſſet partibus, plures illi dies per hebdomadem jejuni, cæteris diebus cibus ipſe jejunium fuit. Noverat ſcilicet, ſine Baccho & Cerere fri-

gere Venerem. Flagella & Cilicia quamvis ſponte currenti corpuſculo admovet; *neque nocte à verbere ceſſat*. Præterea precibus ita ubique vivit addictus, ut loqui eum Angulis dicerent, meliùs Angelis dicturi.

III.

Doctrina Moralis.

LActeam ultrà Cœli viam ne crede, Timothee. Qui primus ingreſſus eſt Chriſtus, docet eſſe ſanguineam. Pretioſiſſimum JESU Nomen magni ſtetit Salvatori tuo: ne binæ quidem ſyllabæ gratis ſunt datæ. Tamdiu ſine nomine, quamdiu ſine vulnere. JESU ſocius eſſe non poteris, niſi eodem itinere incedas. Qui in diverſa migrant, nec viæ, nec vitæ Societatem habere poſſunt. Rem paucis: innocens eſſe non potes, niſi Pœnitens ſis. Omni belluâ ferocior eſt caro domeſtica: nulla re magìs, quàm blandimentis efferatur. Quantò fovetur ampliùs, tantò plùs nocet. Si delicatè nutrias, brevì contumacem ſenties ſervum. Erat à caſu redivivus Paulus, & ea gratiæ pleni-

plenitudine inſtructus, quà ad tertium cœlum admitti meruit. Tantus tamen Apoſtolus lamentatur, nec innocentiæ, nec ſaluti ſuæ conſulere ſe poſſe, niſi corpus in ſervitutem redigat. Ibi in exeſa rupe, velut pro tribunali, flectit Magnus Hieronymus, exul Româ, Paleſtinæ Incola, ſcorpionum, & ferarum ſocius; emaciat carnem jejunijs, cruentat flagellis; configit ciliciorum aculeis; etiam nudam durâ petrâ tundit. Et Ecce! Pallebant ora jejunijs, & corpus æſtuabat deſiderijs: caro incarceratur ſpeluncis, & ſomniat Palatia; genibus affixa humo, prurit in choreas; damnata ad ſilentium, ingerit Muſicæ ſtrepitum; contuſa lapidibus, exhibet domicellarum lapides; experitur cilicia, meditatur torques aureas; ſpargit ſanguinem, & invitat ad purpuram; inter ſpinas anhelat ad flores; procul à flammis uritur invitus, & innocens Hieronymus. Quòd ſi Paulum, ſi ſenem effœtum in exſucco corpore Angelus ſathanæ colaphizat, & caro dominatū prenſat; quale de te judicium feram? Ubi ardet caro, vigent membra, bullit ſanguis, laſciviunt affectus, & natura tam fragilis, tam lubrica, præter licentiam

& libertatem nihil cogitat. Repeto; Angelus innocens eſſe nequit, qui pœnitens non eſt. Age, & vexa vexantem te. Quid deinde, ſi caro doleat? Modicus dolor æterna parabit gaudia. Quid iterum, ſi fleat? Beatæ lacrymæ, quibus ignis æternus extinguitur! Quid deinde, ſi indignatur? Gratias aget, quando ad gloriam reſurget incorrupta. Momentaneum, & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur. Si autem momentanea, quomodo dura eſt pænitentia? Si levis, quomodo intolerabilis? Si æternum gloriæ pondus operatur, quomodo infelix eſſe poteſt? Crucifige te cum JESU, ut reſuſcitêris cum JESU.

Digitized by Google

I.
Explicatio Symboli.

SUpra omnem admirationem majus eſſet myſterium muſicæ, niſi foret vulgare. Videre hîc pugnam eſt, quam alibi orbis ſpectavit nunquam. Si hoſtes diviſos conſideres, nihil infenſius; ſi conjunctos, nihil reperies amicius. Gravis & Levis, depreſſus & ſublimis, infenſi hoſtes ſunt ante pugnam: ſubinde pugnando ita vires ſuas attemperant, ut dum omnes vincunt, nullus vincatur; ſed mirabili conſenſu in unũ coëant. Cùm pleno choro omnes organorum fiſtulæ inflantur; perſtrepunt cymbala; clangunt tubæ, cheles perſonant; Symphoniaci primæ, mediæ, ac infimæ notæ plenis buccis raucos & dulces, pipientes & tinnientes, altos & baſſos clamores efflant; fit pax ex pugna; ex pluribus unitas; ex omnibus exſurgit mirabilis muſica. Illuſtrius aliquid addo, & miraculô majus. Organum res inanima eſt; & excellit animatis. Rationalis etiam hominis, quin & Chriſtiani Inſtructorem agit. Intellectum non habet; & tamen Chriſti monitum examuſſim obſervat. Præbet percutienti etiam alteram maxillam. Ex-

perimentum cape: organum feri. Loco maxillæ novos identidem claviculos tibi porriget, quos iterum ferire poſſis. Nunquam iraſcitur; ſemper *ferienti reſpondet amicè.*

II.

Proſecutio Vitæ.

VIn' ſcire, Timothee, quodnam primum Chriſtianæ Philoſophiæ theorema ſit? Audi, quid ante omnia Vas Electionis Paulus doceatur. Prima, Doctori gentium collata, cognitio continet, non quanta agere illum oporteat, ſed quanta pati. Legerat id Stanislaus, nec excuſare ſe poterat, poſtquam divinus Midas, citra vitium aurium, univerſa tormentorum inſtrumenta, quæ tetigit, aurea fecit. Pretium ejus in flagella usque manavit. Nobilitavit opprobria, quæ pertulit; calamitates nuda jam nomina ſunt; acquiſiêre vim beneficij, ex quo nos Filio DEI pares in fortuna reddunt. Hæc cauſa eſt, quòd innocens juvenis nihil magìs eſuriat, quàm panem tribulationis; nihil magìs ſitiat, quàm calicem Paſſionis. Organum imitatur, & Fratri *ferienti reſpondet amicè.* Erat illi cum Paulo eadem ſtirps, ſed

ſed non mores iidem. Delectabatur hic copioſâ menſâ, liberiore conſortio, & juventæ ludicris. Ille familiares nullos, vel non niſi probatiſſimos, admiſit. Nullius illi rei potior ratio, quàm conſcientiæ. Nec latum unguem ab innocenti rigore unquam diſceſſit, quanquam rigidus frater, & verbis, & verberibus molliorem vitam ſæpiùs ſuaderet. Hoc nimirum domeſtici ſupplicij genus admirabili conſilio permiſit DEUS, ut dilectiſſimi adoleſcenis probaret conſtantiam, excoleret virtutes, multiplicaret coronas. Reſpondit exſpectationi Numinis Palæ-rita noſter; qui id unum anxiè curavit, ut quàm maximè placeret DEO, fratri quàm minimè diſpliceret. Obſervare proin hominem, ut ætate præſtantem; colere, ut parentem; eidem placidè in loco obſecundare; nullam injuriam queri ſed per omnia officia tanquam domino morem gerere. Famulum dixiſſes, niſi quòd uti charitatem fratrum, ita ſedulitatem anteibat ſervorum.

III.

Doctrina Moralis.

BIverbium illud, Timothee, *agere & pati*, non ſolis Romanis, velut olim

vanè jactitabant, proprium eſt, ſed totam, quà latè patet, mortalium univerſitatem tanquam *dictum de omni* perragatur. Declaro rem exemplo domeſtico. Quid innocentius ſpeciebus viſivis, quas objecta ſemper gravido, & ſemper fœcundo, emittunt utero? Excitant oculos ſine murmure; reſident in phantaſia ſine pondere; moventur in cerebro ſine ſtrepitu. Eadem ſors eſt innocentis juvenis, probi Chriſtiani. Immedicabile malum lingua maledica; nec remedium patitur. Ubi magna eſt ſtudiorum inæqualitas, ingens ſit contrarietas affectuum, neceſſe eſt. Vita probi perpetua eſt exprobratio improbi. Fieri ergo non poteſt, ut, ſi oderis vitia, te non oderint vitioſi. Camelos imitantur, qui aquam limpidam & illimem pedibus turbant, lutúmque commovent, ne ſuam in ea deformitatem cogantur intueri. Tu vero vir robuſtus eſto, & præliare prælia Domini. Abſit, Pilatum imitêre. Suetus hic attendere, quæ placerent populo, non quæ decerent præſidem, facilitate crudeli ſemetipſum, & DEUM perdidit. Cautus ùt erat, ac ſolers, tamen nec ipſe duobus ſervire domi-

minis potuit. In eo veniâ dignus non eſt, quòd deteriorem reveritus, meliorem contempſerit. Putabat quidem imprudens, contractam labem aquâ poſſe elui. Sed erravit miſer. Experitur modò, etiam æterno igne nunquam ſatis purgari. Certè diſplicere DEO ex metu diſplicendi hominibus; omittere bonum ex timore perverſorum; Credere in JESUM, & erubeſcere ejus Evangelium; eſt eſſe apoſtatam, & infidelem. Latrent mordaces Cerberi, quantùm lubet, & calumnientur uſque ad ſatietatem; quid tuâ tandem intereſt? Mortales ſunt, & fragiles, & lutei; qui hodie ſuperbiunt, & cras non comparent ampliùs. Si quis caules, ſi fungos, ſi cucumeres diceret, multum ſanè diceret; minùs enim dixit ipſa Sapientia, quando non unum hominem, ſed univerſas gentes momento ſtateræ, & guttæ roris antelucani comparavit. Cave, fungos, & caules DEO præferas! Cave, ſalaces ſodalium jocos præ Auguſtiſſima tua Matre audias! Cave, ne leve moretur verbulum, quem DEUS urget, quem Tutelaris inſtigat! Aggredere, quod ſuſcepiſti; quod arripuiſti, tene.

 Quid

Quid amas terram? Ama vitam æternam. Quid times probra? Time gehennam. Ama; & time. Ama, quod promittit DEUS; nec corrumpet te, quod promittit homo. Time, quod minatur DEUS; nec terrebit, quod minatur homo. A lapſu protoparentis in omni poſthac ætate, & ſexu agere neceſſum eſt, dum vitam agimus; & pati, quoad mortem patiamur. Sexaginta ferè ſæculorum injurijs irritatus DEUS, exſpectat adhuc interitum mundi, ut longiùs pati poſſit. Imò, quaſi injuriæ non eſſent ſatis, dolores addidit; humanum corpus induit, ut bis pateret opprobrijs. Quando indutus purpurâ, & coronatus ſpinis, in ferali ſcena Regem agebat Actor Nobilis, tributi nomine alapas collegit, & ſcommata; gratulationes ludicras tacitus excepit; imò cùm Palatium anguſtum nimis foret Viro deſideriorum, agebat Pilatus deſiderij interpretem, & foras eduxit, ut in publico faciliùs opprobrijs ſaturaretur. Ecce! Miracula fecit DEUS, ut pati poſſet. Pudeat, ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum!

I.

Explicatio Symboli.

NAnis æquè, ac Gigantibus ſuas hiſtoriæ Victorias debent. Parvis, an magnis plus virium inſit, problema eſto. Pugnam certè ſubinde orbis videt; in qua ſuccumbit fortior, vincit debilior; debellatur Hercules, & ridiculus triumphat muſculus. Jura belli everſa crederes, quæ majoribus aliàs viribus palmam adjudicârunt. Elephantô nulla belluarum prudentior, nec ulla corporis mole ſuperior. Cùm Antiochus Eupator Aſiam moveret contra Judæam, bellum non ratus, niſi belluæ pugnarent, unum præ ceteris mole, ornatúque ſuperbum Elephantem in Heroëm illum incomparabilem Eleazarum immiſit. Armatum ſcopulum, aut mobile armamentarium dixiſſes. Sed habent etiam maxima, quà petantur. Succedit ſtylo diſtricto Heros; & dum inermem uterum ſuffodit, cataphractæ pecudi puſillus pugio fit fulmen. Sed iſtud mirandum magìs, quòd immanis hæc beſtia etiam à mure, imò & muſcâ, ſternatur. Rapinas per Nili littora Crocodilus

exer-

exercet, millenis cædibus infamis; exitium tamen ab ichnevmone imminet, imbelli aliàs animalculo. Ingenium aſtuti pugilis mirare. Audaci repente ſaltu fauces antagoniſtæ inſilit, & poſtquam crocodilo mortis ſpiculum infixit in inguine? ipſe impunè graſſatur per viſcera, in quibus alij ſepulchrum invenêre. Ipſe adeò ferarum Rex Leo ad Galli cantum trepidat; fugit ad modicos parvæ facis igniculos. Eſto, pugnæ accinctus horribiles jubas quatiat; eſto, terribili rugitu adverſarios ad duellum provocet; iram tamen cum animo abijciet, parvam ubi facem objeceris. Res mira! Igneſcentem fugat igniculus, *Tantillus tantum*!

II.

Proſecutio Vitæ.

IDem prodigium in Stanislao renovatum videmus. Nanus gigantem, parvus Juvenis ingentem ſtravit Cacodæmonem. Vidit Infernalis Leo flammam Divini amoris erumpere è pectore Stanislai; & contremuit, fugítque. Ita vicit *Tantillus tantum.* Rectè dixit Triſmegiſtus, mundum hunc eſſe organum Muſicum: chorus muſicæ hæc

re-

rerùm univerſitas; Choroſtates DEUS, cantores Elementa, diverſæ voces ſunt diverſæ elementorum qualitates. Utilis ſanè, & neceſſaria eſt hæc elementorum pugna. Si elementa omnia calore conſtarent, omnia interirent; ſi ſolo frigore, omnia torperent; ſi ſola humiditate, omnia putreſcerent; ſi ſola ſiccitate, omnia rigerent. Permixtione harum qualitatum temperantur omnia. Calor excitat ſiccitatem, ſiccitas mitigat calorem; frigus acuit humiditatem; humiditas retundit frigiditatem. Ex hac ingenioſa diſcordia naſcitur pax. Idem experimur in mundo parvo, videlicet in homine; ubi etiam per oppoſitionem omnia ſubſiſtunt. Pugna probat virtutem; infirmitas conſervat humilitatem; tentatio parat coronam. Pridem exemplo ſuo docuit Divinus Athleta. Jejunium, quod probitatis viaticum eſt, divinitatis ſuſpicionem faciebat dæmoni. Putabat majorem homine, quem à ventris ſervitute liberum videbat. Placuit importunitas famis importuno tentatori; & invidiam commiſeratione tegens, lapides offerebat, ut in panem mutaret. Rejectus inſtaurat prælia verſipellis; & quem præſtigia-

giatorem non potuit, ſtudet funambulum iacere, dum è templi pinnaculo ad ſaltum ſolicitat. Tandem victus obmutuit & infamis fugæ nuntium inferis tulit. Quid igitur mirum, ſi Stanislaus, quem ſibi Servator dudum elegerat in ſocium, eâdem in palæſtra exerceatur? Miſerabilis foret, ſi nullâ affligeretur miſeriâ. Immiſit morbum; ut præmiari poſſet patientem. Permiſit in pugna ſuccedere Sathanam; ut bis coronare poſſet victorem. Ter hiante rictu in decumbentem infernalis canis fortiter inſilijt; ter coactus eſt turpiter reſilire, & victor ſtetit Stanislaus, etiam dum jacuit ægrotus: *Tantillus tantum.*

III.

Doctrina Moralis.

EOdem cum hoſte tibi luctandum Timothee. Nullum meritum ſine patientia: nulla victoria ſine certamine. Aqua ſtagnans corrumpitur: caro ſine ſale putreſcit: equus ſine calcaribus ſubſiſtit immotus. Para te ad tentationem; & certa viriliter. Ab hac pugna pendet ſalus tua: ab hoc certamine pendet vita tua: ex hoc momento pendet æternitas. Non poteſt

te

te Dœmon vincere, niſi velis; non poteſt mordere hic canis, niſi ſponte appropinques. Flammam præcipuè expaveſcit Leo ſtygius; & facillimè vinces, ſi ad infernum deſcendas, & flammas conſideres, tibi ſuccumbenti deſtinatas. O quàm horribilis eſt infernus! Videbis anticum, nullum poſticum. Cernes ingreſſum, nullum regreſſum. Reperies, quod non quæris, quia invenies omne Malum. Non invenies, quod quæris, quia reperies nullum Bonum. Aderunt omnia, quæ deteſtaberis; aderit nihil, quod amabis. Qui pedem huc infert, pati debet æternùm, ſed ſine patientia; debet æternùm vivere, ſed ſine vita; debet æternùm mori, ſed ſine morte. Spirare tantùm licebit, non ſperare; deſperare ſemper, reſpirare nunquam. O æternitas, quàm longa es; O æternitas, quam es terribilis! O nunquam! O ſemper! Semper deſiderare, nunquam poſſidere! Semper laborare, nunquam quieſcere! Semper triſtari, nunquam lætari! Semper DEUM odiſſe, nunquam amare! O nunquam, quod nunquam finietur! O ſemper, quod ſemper durabit! O præſens, quod ſemper cohæret

cum præterito! O præteritum, quod ſemper cohæret cum futuro! Poſt millena millenorum millia ſæculorum *erit tempus eorum in ſæcula.* Nihil adhuc detractum æternitati, nihil demptum tremendo illi *ſemper.* Manet mare ſine littore; navigatio ſine portu; profundum ſine fundo; Labyrinthus ſine exitu. Petes ibi æternùm, & nunquam obtinebis. Pulſabis æternùm, & nunquam aperietur. Etiam fodies æternùm, ſed muros Adamantinos. Mehercule aut Juvenes non credunt infernum, aut inſaniunt. Pinguiſſima ſtupiditas eſt, velle delectari momentum, ut patiare æternùm. Vel pro unica horula, qua manum ardenti candelæ admoveas, integrũ Regnũ paciſcere; mendax ſim, niſi ante horæ quadrantem manum retrahas, & pactum revoces. O ſancta fides noſtra! Doce nos tandẽ illud *nunquam*, illud *ſemper* cognoſcere! Monui te aliquando, Timothee, ut ambitioſo ingenio tuo temperares, nec fruſtrà infinitũ inveſtigares, quando nec in *Deo* præter Deum eſt infinitum. Jam è Peripato mea te manumitto. Abi, & quære. Apud inferos, ubi nulla ſcientia eſt, reperies infinitũ, ſed clauſum terminis; quia geminis vectibus ferreis arctiſſimè obſeratum; in quorum altero inciſum leges *ſemper*, in altero *Nunquam.*

I.

Explicatio Symboli.

QUid non amore prolis tolerat mater ſedula? Non ſatis eſt illi, tædia longi partûs viciſſe; labor inſuper in educanda, nutriendáque prole plurimus. Vix ovo bene excluſus, primis è cunis pullulus abijt; prima jam matrem cura fatigat, ut neceſſarias ſoboli dapes comparet. Has cùm Novercans natura denegat, alienam ubique liberalitatem implorat, quò debitas nato epulas emendicet. Venatum nunc per aëra exercet, & ſolerti roſtro muſcas ac culices ſternit; modò in ſylvas egreſſa, formicis atque locuſtis inſidias tendit. Nihil non agit, omittit nihil, ut pingui prædâ domum onuſta redeat, quam parvis hæredibus diſpenſet. Imò licèt ipſa volando, venandóque famem obſonet; omni tamen obſonio avara ſibi interdicit, quò lautiùs proles prandeat. Interim dum parens prædabunda domo evagatur, querula abſentem voce proles requirit, cibúmque pipienti gemitu inclamat. Vix adventan-

tem videt, implumibus alîs plaudit, & læto ſibilo redeuntem ſalutat. Et verò compenſat amorem hunc Mater. Præmanſa fercula nato comminuit, tenellis ingerit faucibus, longámque famem cupitâ dape ſolatur. Aſpicit nutricem grata proles, & matri arridet, *quæ, quod gemitus voluêre, dedit.*

II.

Proſecutio Vitæ.

DEſcende Cœlo, ubi nil agis, ſanctiſſime Hymen; & duas extra Cœlum cœleſtes animas copula, Barbaram & Stanislaum, Virgini Virginem. Hæc Hymenæi tæda fumo carebit, quia Virginum candorem non denigrabit. Ultra amorem non ibunt amantium vota; ſive deinde nuptialem cœlibatum, ſive cœlibes nuptias appellare velis. Novo certè miraculô ſponſæ contubernio ſponſi Virginitas magìs roboratur, & forma Divæ Barbaræ ſuffragatur pudicitiæ Stanislai, Incipit intenſiùs amare caſtitatem, poſtquam illius pulchritudinem in ſancta Virgine

gine clariùs intuetur. Meruit Virgo viſitari à Virgine, quòd honoribus Divæ Barbaræ impensè ſtuduerit. Imò cliens fuit hactenus, & coluit ùt Patronam; poſthac filius erit, & amabit ùt matrem, *quæ, quod gemitus voluêre, dedit.* Sed initium hoc favorum fuit. Penè abijt extra lectulum ægrotus, ubi lectulum adire vidit duos Angelos, formâ & ſplendore mirabiles, qui panem Angelicum debili famelico frangerent. Tunc enim ſuaviſſimis perfundi delicijs; ubere fletu teſtari ſolatia; & Servulus accedentem Dominum eâ modeſtiâ excipere, ut ipſi propè Angeli decepti fuerint, & Collegam putârint, qui tamen à mortali corpore nondum manumiſſus fuerat. Subinde amanti & ſtupenti medius quievit. Minora agere noluit; majora non potuit: nam ſatis agit, qui DEUM recepit. Porrò Cœleſtium Geniorum adventum ne mirêre. Receſſerat à Servatore Sathanas, ter devictus, & acceſſerant Angeli, ut miniſtrarent. Ter dæmonem Stanislaus repulit; hinc è Cœlo appulerant, qui militanti, Vincentíque felicem ſportulam apportarent.

III.
Doctrina Moralis.

VEni & vide, Timothee. Angelorum conviva eſt Stanislaus, quia nunquam fuit conviva Dœmonis. Nunquam ſibi conſtat Sathanas; varius Chamæleon eſt, perſonatus ſemper, & quaſi ſaturnalibus detentus. Id præſertim curat, ut parallelis ex invidia & faſtu paſſibus ſemper incedat cum Numine,& Divinitatem illius in omnibus æmuletur. Apparat DEUS convivium; apponit vinum, germinans Virgines: inſternit menſam Lucifer, & propinat poculum, quod efficit ganeones. Cave, ne tangas. Mors in ſcypho. Ipſum mundi raptorem Alexandrum Herculis ſcyphus ſtatim necavit. O mortem, milite indignam! Quàm glorioſiùs obijſſet, ſi animam non mero, ſed ſanguine purpuream, exhalâſſet. Neſcio, num Clytus aliquis in ſcypho latuerit. Illud ſcio, in ſtygio poculo venenatam latére Venerem. Si guſtas paullulum mellis, moreris. Verum eſt, quod ajunt, feralem floribus vitem eſſe; virgineos

neos necat flores. Noëmus, qui de oceano ſiccus emerſerat, in cratere fecit naufragium. Quippe robuſtior vini vis effœtum ſenem ita proſtravit, ut ſalax Chamus nudatum parentem ludum fecerit. Liberalis erat Anaxarchus Philoſophus, & primum hauſtum ad ſanitatem, ſecundum ad voluptatem, tertium ad inſaniam ſpectare voluit. In convivio Veneris primus hauſtus ad inſaniam jam ſpectat. Ut annulus annulum, ita voluptas, ſemel admiſſa, catenatim poſt ſe trahit aliam, & aliam. Quò plùs potatur, plùs ſititur. Ipſum ſcelus in hoc ſcelere ſceleris eſt pœna. Bibit Noëmi ſæculum; & Cataclyſmo ſuffocari debuit. Ipſe Loth, dum ab Angelis eductus, ignem fugit, ſecum ignem tulit in dolio; quia ebrij parentis thalamum occupârunt filiæ. In eo felix erat, quod gemina inter ſtupra caſtiſſimus, ſalvâ honeſtate inhoneſtas filias fecerit matres. At enim privilegium hoc alijs conceſſum non eſt. Ut biberunt Pentapolitæ, ùt arſerunt; & flamma non niſi mari mortuo deleri potuit. Circa fumoſa famoſi Cupidinis buſta hodiéque videre eſt poma,

 præ-

præſtigioſo foris colore blanda, intus putrida; in exemplum voluptatis, quæ foris nitida, in pœnitendum cinerem mox vaneſcit. Et quid tandem eſt impura voluptas, etiam cùm in ſummo eſt? Fornax ſcelerum, fodina nequitiæ, metropolis damnorum, alveus vitiorum, philtrum improbitatis, odium DEI, Dæmonis gaudium. Dolori viam pandimus, cùm voluptatem admittimus. Si cum voluptate quidpiam turpe fecimus, quod ſuave, abijt; quod turpe, remanſit. Quare non immeritò Architas à Dijs precabatur, ut dementiâ potiùs, quàm voluptate corriperetur. Maximum, inquiebat, beneficium agnoſco naturæ, quòd breves ſint voluptates, ne diu inſani eſſemus. Deſideras aliud teſtimonium? Princeps medicorum ſummam voluptatem vocabat parvum morbum comitialem, quo qui laborant, citò intereunt; ſed priùsquam intereunt, cor amittunt. Iterum moneo, ne vel ſemel propinanti ſympoſiarchæ reſpondeas. Oraculum crede, omni Delphico verius, quamvis à Poëta editum; illum

perijſſe juvenem, cui ſemel
perijt pudor.

I.

Explicatio Symboli.

QUod Lunæ argentum inter ſidera; hoc Lilij nives hortenſia inter florum decora. Illa ceu Regina minores inter ignes chorum ducit; iſtud, velut altera Flora, coronatum ſuper alios verticem effert, & toti quaſi jura florum Reipublicæ diſpenſat. Nymphis olim ſacrificaturi veteres, quò dignam hoſtiam immolarent, lilium obtulerunt; Virginibus nempe florum Virginem, Nymphis hortenſem Deam; in qua candor ſine macula, venuſtas ſine labe, pulchritudo ſine offendiculo. Protuberat nobilis hæc horti filia è fœcundis terræ viſceribus, & virentibus primò foliorum conſtrictâ faſcijs, matutino rore, quaſi Nutricis Auroræ lacte, paſcitur; donec floridam ad ætatem perveniat, atque lacteam foliorum pompam explicet, quò ſpectatoribus oculis placeat. Et verò nec amaſij deſunt, qui Nymphæ hujus venuſtatem ambiunt. Pleno ad hanc agmine apes convolant, & melleam ejus amabilitatem

procantur proci innocentes; ſi procos tamen, & non Virgines potiùs innubem hanc gentem dixeris. Nec ingrata Lilijs videntur hæc meliſſarum ſtudia. Argenteos enim calices ijs propinant, ex quibus mel, ceu amoris philtrum, ſugunt, quo ebriæ totas dies innocenter inter lilia deliciantur, Virgines cum Virginibus, innocentes cum innocentibus: *Hoſpitibus ſedes digniſſima tantis.*

II.

Proſecutio Vitæ.

QUi majorem magnò Paulo videre cupit, huc adſit. In cœlum translatus eſt Paulus; hodie cœlum transfertur ad Stanislaum. Ruptis nubibus inſolitum ægro lumen affulget. Ubi ſic præluditur, pronum eſt conjicere, quàm læta ſubſequatur ſcena. Superi! Venuſtiſſima cœlitum Regina decumbentem inviſit, & pro ſolatio ſuum, orbíſque ſolatium offert. Jámque æger facinus audet plus quàm inſolens, & audax moliri. Adoritur diviniſſimum infantem; evol-

evolvit de materno ſinu; divellit brachijs; & in ſuas illum ulnas attollere juvenili violentiâ laborat. Quin ipſa Virgo, quamquam referre ſuâ cumprimis videret, ſi irruere prædonem, ſpoliúmque trahere tam opulentum pateretur; tamen nihil obluctatur; ſed læta renidet etiam; adjuvat prehenſantem; & prolem ultrò in manus ac ſinum ingerit. Non diu hæret ambiguus, quid eo ſpolio potitus agat. Arctè Numen, compreſséque amplectitur; juveniles vultus, ſinúsque properantibus gaudiö lacrymis continuò perfundit; & cùm oculos oculis, ac oribus ora jungere majeſtas Infantis prohibeat; jam pedibus ambroſijs oſculum libat; jam gratulantibus verbis membra diviniſſima ſalutat; jam in præſtandis obſequijs nihil non aliud officioſiſſimè agit. O novum ſacræ ſynaxeos recipiendæ modum! Priùs Angeli miniſtrârunt DEUM: nunc Deus ipſe ſe offert. Stanislaus gemino ſenſu Chriſtum excipit, ore, & manu. Gemino palato guſtat delicias DEI. Mirantur Angeli novas artes amandi: miratur Chriſtus, & miraculum proſequitur. Scilicet non adeò parva ſunt Virgi-

nis beneficia, ut inter primos etiam adſpectus evanida, continuò dilabantur. Durant illa, animósque longis appendicibus morantur. Multò minùs grave potuit hoc onus accidere; quia debilem fecit robuſtum; & territa mors timuit aggredi Juvenem, à quo vidit etiam infirmis teneri brachiis, qui tribus digitis molem terræ appendit.

III.

Doctrina Moralis.

NUnquid autem in ludo tam hilari actorem agere malles, Timothee, quàm ſpectator ignavus ſedere? Stanislao in hoc cœli nectare non pitiſſare duntaxat, ſed imò perpotare jam licuit, & heluari: nos, licèt auctorati Virginis Clientes, vix ſtillâ humectamur. Scilicet cygni corvos non amant; & Virgineus Virginis filius non niſi cum Virgine deliciatur. Solæ Virgines ſunt *hoſpitibus ſedes digniſſima tantis.* Ambit te, ſi florem tuum ſervabis florentem. Servabis florentem, ſi ex fontibus Salvatoris

con-

continuò rigabis. Rigabis autem, ſi ſæpiùs amaras aquas ad ſacrum tribunal haurias. Nil ſalutare magìs frequenti peccatorum expiatione. Quid divinum paveſcis Judicem? Inhumanus eſſe non poteſt, qui tenaciſſimo glutino humanitati conjunctus eſt. Ut faciliùs ſperes, audi inaudita, & ſtupe. Tanti DEUS Saulem peccatorem fecit, quanti totum propemodum humanum genus. Unius peccatoris gratiâ exhibitum univerſis iteravit obſequium. Exivit rurſus à Patre, & Graſſator beneficus viatori inſidiatus eſt, ut ſpeciosâ ſpoliaret nequitiâ, qua gloriari auſus eſt, ſe Chriſtum perſequi. Oravit quidem Protomartyr Stephanus, ut in expeditionem hanc Redemptor aſſurgeret. Sed diu rogare non debuit. Vix preces finijt; jam vidit *ſtantem JEſum*, quaſi qui feſtinaret ad opus. Quid tua te fragilitas, & relapſus terret? Permiſit olim DEUS, templum Sionis ſurgere, & ruere, ut ſurgat. Neſcias, ruinam optet DEUS, an templum, ut diſcas, quanto in quæſtu ſit pœnitere. Iteratos lapſus permittit, ut crebrò attritus ſolidior ſurgas. Alliſus in terram

Sau-

Saulus concipit deſiderium cœli, & per tyrocinium tenebrarum initiatur ad lumina. Diu in exordio laborat Virtus. Sæpe ad fundamenta redeundum. Suſpira pœnitente animo. *O Rerum Opifex, Reorum Opifer, Deus! Adverte facilis aures! Infanda mea facta tibi confiteor. Audi, quæ ſolus ſpectâſti: aut ſpectare deſine, quæ piget audire. Ille ego hominum ultimus, ut lucem fœdarem, in lucem veni. Conceptus, lethale nefas concepi. Odiſſe penè te cœpi, antequam nôſſe. Propè in cunis nihil candidum habui, præter ſindonem. Hoc uno eram imago DEI, quòd tuam imaginem reddidi ex contrario. Duo ſejunctiſſima conjunxi, vitam Athei, & fidem Chriſtiani. O bone, & parcendo exercite! Miſerere miſero! Pœnitet! Pudet!* Sic clama cum Davide; & translatum peccatum audies. Accede ſubin ſine dilatione, humilia te ſine perturbatione, confitere cum fidelitate. Noli differre. Tempus, quod tibi elabitur, urget te! Gratia, quæ te excitat, urget te! Paradiſus, qui tibi panditur, urget te! Infernus, in quem præceps abis, urget te! Mors, quæ tibi minatur, urget te! Judicium, quod imminet, urget te!

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

DE viribus olim Arundinem inter & Oleam orta contentio eſt. Illa, ut ſe manifeſtò graciliorem videret, certare tamen dubitabat; induſtriæ ſuæ confiſa, quæ ad omnem ventum ſe inclinare, & in omnes partes nôrat flectere. Riſit ſuperbientem Olea, probè gnara, *frangi ſe, non flecti*; atque adeò vel caſu ſuo coronam Conſtantiæ arundini præripere. Et verò deſpexit meritò. Nobiliſſima arbor eſt Olea. Exulem ad Ægyptios DEUM-Hominem Arbor unaquæque præoccupare curat obſequijs: ut exaltari cum illo poſſint, ſeſe ſingulæ abjiciunt coram illo. Ipſa etiam tantum hoſpitem demereri tellus aſſentatrix laborat. Sed fruſtra omnes. Sola præ cunctis placuit Olea, ſub cujus umbrâ cum filiolo feſſa mater requievit. Ampliùs quid addo. Adeò pretioſus eſt liquor oleæ, ut intra cœlum ipſum aſſervetur. Aliàs natus Chriſtus oleum ſe-

ſecum è Cœlo afferre non poterat, quod Romæ fonticulus incarnato DEO copioſè ſuppeditavit, ut vulnerum noſtrorum cicatrices obduceret. Aliàs è Cœlo ampulla olei venire non poterat, quæ Clodovæum Chriſtianiſſimum fecit. Aliàs hic liquor, Sacerdotes dum ungit, Divinos non efficeret. Præterea pacis ſignum eſt Olea. Certè Chriſtus, cui ſola lenitas triumphus eſt, habuit in Oliveto Palmetum. Demum ſola Olea victrix erat diluvij. Vidit ex aquis eminentem Olivæ ramum columba; colligit blando ore, quem arbor ſponte obtulit; victricem in arca Noëmum coronat: alijs verò, qui extra Arcam præſumebant victoriam, *triſtè adgemit: Ne pereas, intra.*

II.

Proſecutio Vitæ.

QUod in Cataclyſmo arca fuit Noëmo, in procelloſo Mundi hujus oceano Religioſus ſtatus eſt Juveni. Porrò ita Juventutem diligit miſericordiæ Ma-

Mater, ut ipſa ſæpiùs vices columbæ obeat, & periclitantes Juvenes ad hanc arcam ſolicitè invitet. Etſi verò Magna Cœlitum Regina omnes omnino mortales amore depereat, fatendum tamen eſt, non rarò etiam Illuſtres ceras in terris quæſiiſſe. Ita hodie Stanislaum ſibi ſponſum eligit, & nominatim admonet: ut Societatem JESU ingrediatur; poſtquam Arrhæ loco decumbenti ſanitatem dedit. Erravi. Sanavit ægrotum JESUS, & JEſuitam inchoavit, ſuccedens DEIpara, ut JEſuitam perficeret, Marianum fecit. Multum certè debemus Cœleſtibus Archiatris. Propè fuit, ut careremus Stanislao. Maturus erat æternitati, & volebat illa ſubtrahere tempori. Annoſum credidit, dum merita vidit; & injuriam putabat, ſi tempori redderet. At enim amârunt ſuperi Dilingam, & Romam. His reſtitutus eſt, ut nondum Academicus duas doceret Academias. Nam vix è lecto ſurrexerat, voti Sacramentum dixit, quo ſe ingreſſurum Societatem obſtrinxit. Secundùm hoc ſæpius Magio, Auſtriacæ Provinciæ Præſidi, ſupplex accidere,

fati-

fatigare aras & templa, omnes tentare vias; ſi quà fortè inveniret aditum, quò vota rapiebant. Dudum noverat, ſtatum Religioſum Arcam eſſe Divini Noëmi, ad quam non niſi conſanguineos ſuos invitat; ubi ſecurè vivitur, dum foris fluctuatur; ſincerè ridetur, dum foris ploratur; ubi victoria, dum foris eſt fuga; ubi triumphus, dum foris interitus.

III.

Doctrina Moralis.


ET tibi, Timothee, Columba adgemit: *ne pereas, intra.* Ut tanto favore dignum ſe reddat Stanislaus, jam Ignatium reveretur, ùt Patrem, qui nondum ſuſceptus eſt in filium. Nihil unquam ſolicitè magis egit, quàm ut ad eum, quem aureus pro exercendo ſpiritu libellus exhibet, deligendi modum de ſtatu vitæ ſuæ ſtatueret. Utinam tecum omnes haberet imitatores! Numerus planè ſtultorum haud ampliùs foret infinitus. Hi maximè deſipiunt, qui ſine ratione rationem vitæ arripiunt. In

hoc negotio præcipuè decet, ut homo hominem agat. Alibi ſive intermiſſum, ſive ignoratum ſit quidpiam, non plus incommodi accipitur, quàm quanti quæque earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid: at enim hîc omnis vitæ cardo vertitur, in quo ſi erratur, totam vitam errare neceſſum eſt. Interim nihil delectûs adhibetur. Villa emitur, & bona quæritur; Uxor ducitur, & proba eligitur; deſiderantur filij, & optantur pij; ſola vita amatur mala. Videas pleroſque ſine propoſito vagari. Properant cum fabulatore Æſopo, & neſciunt, quò currant. Paſſim ſequuntur corvos teſtâ ac luto, & ſecuri vivunt ex tempore. Atqui nulla res majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur; nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Non eadem hîc, quæ in cæteris peregrinationibus, conditio eſt. In illis comprehenditur aliquis limes; & interrogati incolæ non patiun-

tur errare: at hîc tritiſſima quoque via, & celeberrima, facillimè decipit. Nemini licet pro libidine progredi. Solus DEUS pro libitu vias diſponit; & alijs terrâ, tibi marî decernit viaticum. Si terrâ venias, deficies in via, & antè, quàm pertingas ad Cœlum, peribis fame. Si marî pergas, feliciter appelles ad portum. Sunt equidem plures Romam versùs, & Pariſios viæ; non tamen quamlibet tutò ineas. Quàm multi periêre mari, quos incolumes terreſtre iter deduxiſſet? Quàm multos ſtravit equitatio, jumentis dejectos, quos currus aut ambulatio ſervâſſet? Pro diversâ ratione virium diverſa eligitur via; pro diversâ ratione indolis diverſum quadrat vitæ inſtitutum. Videbis aliquos, non diffiteor, quos in ſtatu Eccleſiaſtico otium & incontinentia peſſum dedêre: at innumeros reperies alios, quos fallax perdidit ſæculum. Nec ſervi, nec aulici eſt, domeſtica involare officia. Novit

vit Paterfamilias, novit Rex, quô cujuſque obſequio uti velint. Nemo de Deo dubitat, etiam impius; Atheus tantùm in corde ſuo DEUM negat; ſed dum ſic negat, affirmat. Cæteris in rebus ignari eſſe poſſumus: omnes in hac parte Chriſtiani ſumus. Atqui ſi DEUS eſt, non ante fuit DEUS, quàm Dominus. Non incepit aliquando hoc dominium, nec ceſſabit. Inde eſt Dominus, unde eſt DEUS. Subeſt huic Domino, quidquid eſt aliquid. Subeſt huic Regi, quidquid eſt nihil. Aliorum Domini ſunt ſubditi DEI. Qui vocatus ad obſequia paret, placet; qui ſpernit imperium, ridetur æternùm. Porrò pro tanto negotio ſacerdotem oportet deligi timoratum, & virtutum Magiſtrum. Solus ille navim ſecurò moderatur, qui aquæ expertus eſt quàm maximè. Nemo ægrotus navarchum advocat, ſed peritum medicum: qui domum conſtruit, non ſartorem, ſed architectum inquirit. Cæterùm tan-

tùm duo ſunt, Timothee, & nihil eſt medium. Duo ſunt; aut in cœlum aſcenditur, aut in infernum deſcenditur. Voluptas brevis, pœna æterna! Elige. Semel malè elegiſſe, ſemel periiſſe, æternùm eſt. Elige, quod voles in morte; quod optabis in æternitate.



❧(*)❧

I.

Explicatio Symboli.

SIc eſt. Etiam ars pulcherrimùm ludit in plantis, dum, inſertîs in unum truncum diverſæ ſpeciei ſurculîs, facit, ut flores & fructus aliquid præter naturam ſuam habeant. Nam ficum ſæpe videas in moro, vel platano hoſpitium habere; morum contrà in caſtanea & pyro ſylveſtri; quo conjugio candida naſcuntur mora. Si pyri ſurculi moro infigantur, rubra proferent pyra. Malus inſeritur omni pyraſtri generi. Punica etiam ſalici ſociantur. Similiter ajunt cucurbitas purgatorias naſci, ſi ſemen, priusquam terræ committitur, per aliquot dies ſcammonio maceretur. At enim artem longè Natura ſuperat, præcipuè ſi plantarum amores & odia ſpectemus. Res eſt, amphitheatrali ſpectaculo jucundior, videre Heliotropium, ſolis pediſſequam. Quocunque mobile illud ſidus per cœli convexa graditur, illuc proles hæc non degener ſequitur; &, quod mirêre, comitatur pede immoto; imò

imò comitatur ſine plantis. Requieſcit ſimul in ſinu matris; ſimul cum patre ampliſſima cœlorum ſpatia emetitur. Sive primò ille lucis exortu mortalibus diem invehat; ſive altior accendat meridiem; ſive confecto tramite meditetur occaſum; individuus comes hæret Flos Helenij, ſemper *purpureo ſupplex Patri.*

II.

Proſecutio Vitæ.

DIxiſſes, naturam Stanislai in Virtutes tranſiiſſe. Nulla in eo mediocris: omnes fuêre eminentes. Innocentia penè talis fuit, quæ fuiſſet Adamo innocente. Indoles erat, quaſi Columbæ ſine felle. Unum unicum oderat, quod omnes amant, nempe dignitates. Auditus eſt ingemiſcere identidem, & ſecum ipſo expoſtulare: Infelix Stanislae! Et quod inde tibi lucrum, ſi mundum lucreris univerſum? Ampla te manet domi hæreditas; ſed quamdiu habebis? Epulaberis, tripudiabis; & quamdiu hæc omnia? Equidem placeret:

ret, & ſaperet hæc vivendi ratio, modò diu placere poſſet, & ſapere. Sed irritant iſta, non ſatiant. Tanti autem pœnitere non emo. At ardua res eſt hæc vitæ mutatio: Delicatè nutritus es: contra aſſueta tendere difficillimum accidit. Verum id quidem eſt; ſed juvabit ſocius DEUS. Larvæ tantùm ſunt, quibus Dea Volupia ſuam quaſi ſtibio faciem allinit, ut cæcæ mortalium illudat aviditati. Humana quidem omnia ad interitum properant, & nihil reperire eſt, quod ſtabile ſit: ij tamen omnium maximè decipiuntur, qui moroſè laborant, ut voluptatibus diu frui poſſint. Formoſiſſimæ ſpecies fulminis inſtar ex oculis avolant; aut ſi quædam ſimulacra vitioſæ menti inſideant, moleſti lemures erunt, ut crucient. Aurium ſuavitas, & cantilenæ nequiter factæ, exquiſiti odores, molliores corporum tactus, an non priùs evanuerunt, quàm adfuiſſe noten-tur? Selecti cibi, & pretioſa vina, quæ Apiciani ſunt juris, vix per guttur deſcenderunt, & præter fumum, ac pituitam jam nihil relinquunt. Scire cupis, quid tandem in luxu, & epulis homi-

nes ament? Amant cadavera perdicum, anſerum, vitulorum, porcorum, fœno, & cœno ſaginata. At vitam duxiſti liberam; poſthac voluntas tua erit alterius: facies, quod volet alter; & quod, ut velis, non faciet alter. Quis eſt, qui jubet? Homo vocem profert, DEUS imperat; cui ſi obedientiam non promitteres, deberes. At Parentes, & fratrem contriſtabere. Perge, perge, & ad Crucis vexillum evola. Virtus eſt, hac in re eſſe crudelem. Non erras; Author & Patronus Conſilij eſt magnus Hieronymus. Ita ſecum Stanislaus; qui adeò incaluit hoc cogitationum æſtu ut jam ſolam arderet Religionem. Societatem loquitur vigilans, loquitur ſomnians. Quin quò votis citiùs potiretur, Franciſcum Commendonum convenit, *Purpureo ſupplex Patri*; ut ſuô patrociniô in aulam cœleſtis principis ſibi aditum aperiret. Multa hic objicit. Sed defendens Stanislaus uno omnia reſponſo ſolvit argumenta. Illam ſcilicet Divi Xaverij gnomen retorſit: *quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

III. Do-

III.

Doctrina Moralis.

INcaluiſti, ùt video, Timothee. Quid ergo tardas ipſum, quem concepiſti, ſpiritum ſalutis parturire? Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius horâ mortis. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? Lubrica ſpes, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe poſſe ſperat! Incerta Victoria, inter hoſtilia arma pugnare! Impoſſibilis liberatio, flammis circumdari, nec ardere! Qui prope Sodomam habitaverant, igneos imbres effugere non potuerunt. Periclitatur caſtitas in delicijs, humilitas in divitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquijs, charitas in ſæculo nequam. Dæmoni ne fidas. Si teneram ætatem prætendat, hoſtes imitatur, qui inducias petunt, ut collectîs maturè viribus certiùs feriant. Plerique hoc ipſo malè DEO ſerviunt, quòd ſerò ſerviant. Rectiſſimè omnium illi, qui ab adoleſcentia Domini jugum portare didicerunt. Tenera arbor in omnem partem facilè flexilis. Etiam

catelli & aviculæ, ſi juniores erudiantur, omnis diſciplinæ capaces ſunt; cùm id temporis effluxerit, ita obdureſcunt, ut indociles fiant. Omnia prima capiunt, & præoccupant animum, ùt docet Philoſophus. Difficulter eraditur; quod rudes animi perbiberunt. Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quò imbuta eſt. Age, & citò exequere, quod lentè ſtatuiſti. Ab ore gehennæ eriperis, & inducias petis? Furit ignis abſconditus in ſinu tuo; & exuſto jam latere adhuc deliberas, num excutere velis? Feſtina, quæſo te, & hærenti in ſalo naviculæ funem magìs præſcinde, quàm ſolve. Quamdiu extra portum eſt, in periculo eſt. Nulla ſatìs magna ſecuritas, ubi periclitatur æternitas.

I.

Explicatio Symboli.

DUdum diem comitijs dixerant aves, ut Regem nominarent. Et Ecce! Vix divulgata res erat, cùm ingentem continuò volucrum cœtum ſuis ſedibus excivit; brevique campum, quantus oculis proſpectum eriperet, Candidatis implevit. Vidiſſes circumſtare roſtratas Ciconiarum acies; cuneato agmine ſubire Grues; properare raucas Anſerum phalanges. His nihilo ſegniores advolant è ſegetibus Alaudæ, è turribus Columbæ, & inquilinæ ſylvarum, Luſciniæ. Immiſcuêre ſe proceriores corpore Ardea, & Aquila. Quos inter Imperij competitores etiam peregrini littoris hoſpites comparuerunt. Hîc advenit de Phaſide Gallus, ex India Pſittacus, ex Græcia Pavo. Struthionem miſit Africa, Cygnum Cayrus ex Miſia; Phœnicem legavit Syria. Tandem placuit, Regni majeſtatem volatu conſtituere. Datô ſignô unà omnes cum ingenti alarum plauſu ſe humo attollere, certatim

per aëra tendere; & ipſa cœli confinia petere, pari conatu, conſtantiâ diſpari: Quippe ubi ad ardua ventum, multis intepuit calor: plurimis defluxerunt pennæ: ſola pertinacior, ac pernicior Aquila eò eluctata eſt, unde omnes infra ſe potuit deſpicere, & ab omnibus, tanquam Rex, meruit ſuſpici. Et verò promeruit coronam Aquila, cujus viam in cœlo nec capaciſſimus mortalium Salomon capere potuit. Etiam illud peculiare habet Aquila, quòd, ut ad volatum adeò ſublimem magis expedita ſit, veteres pennas exuere ſoleat, *ne remorentur iter.*

II.

Proſecutio Vitæ.

UTinam Senecam legiſſet Paulus! Certè Stanislao Fratri non iraſceretur. Nunquam ſeriò iraſcendum eſt, etiam malis. Imbellis animi argumentum eſt, non fortis, & generoſi. Habent vermiculi iras; & quidquid ſerpit, iracundum eſt. Rex apum aculeo caret; & plùs irarum muſca habet, quam Aquila.

la. Habent immortales ſuperi fulmen, non iram. Perjiſſet pridem genus humanum, ſi toties iraſcerentur, quoties provocantur ad iram. Sed quid ego Paulum arguo? Divinam potiùs adoro Providentiam. Nihil hanc fugit. Effectus ſunt providentiæ, quos appellamus caſus; & decreta DEI ſunt libera; quæ vocamus Fata; licèt priùs humanum arbitrium exploret DEUS, & penè ponderet, libertatem ne lædat. Hæc igitur providentia permiſit iraſci Paulum, ut videret fugere Stanislaum. Dudum hic in occaſionem fugæ imminebat. Hinc licèt exercendæ virtutis materiâ magnopère lætaretur, promptè tamen acceptavit licentiam, cùm præfervidus frater illum faceſſere, & in malam crucem juberet properare. Ne propoſiti pœniteat, votô illud firmat, nullum ſe peregrinandi finem facturum, donec votorum redderetur particeps. Ut ſe ad iter expediat, priùs totum mundum expedit, illúmque res, ac ſpes ſuas habere jubet. Ne in via gravatus deficiat, veſtes abjicit aurô graves, & pauperculo donat, *ne remorentur iter.* Cum veſti-

bus

bus terrena omnia abjicit; ut aquilæ inſtar divinum ſolem propiùs intueatur. Hæc Dei indoles eſt, magna largiri.

III.

Doctrina Moralis.

ECce verum Philoſophum, Timothee! quia ſapit ſupra mundum. Peſſimi Philoſophi ſunt homines mundani. Probant idem per idem, & circulos vitioſos committunt; quia impij in circuitu ambulant; nunquam ſtabiles, ſemper negotioſi; & molæ ſimiles, quæ ab equis, in gyrum curſantibus, impellitur. Quanta ambitioſos cura exercet! Ut fumus iſte exurgat, incendia ſubjiciuntur urbibus. Umbra honor eſt: ut ſub hac umbra ſedeant, itur priùs in arma; prætexitur telis cœlum; ſol à ferreis nubibus eripitur; tandem diffluunt in umbras maximas veſpertinas; in occaſum, in mortem. Sic circulum abſolvunt; quia redeunt in pulverem, unde venerant. Membrana eſt dignitas, quæ timores, pavores, ſuſpiciones tegit: tam magnam car-

carnificinam,tam tenue velamentum operit. Facilis ex alto lapſus: abrupta ſublimibus adjacent: omnia imaginaria in ſæculo, & nihil veri. Dicitur figura mundus, quia illius bona ſolo terminantur aſpectu. Tantùm apparentia ſunt; & nullo ſubſiſtunt fundamento. Etiam in corona nullus eſt unio, qui ſudor non ſit; rubinus nullus, qui non ſit ſanguis: nullus adamas, qui non ſit quodammodo terebra. Tota denique nihil aliud eſt corona, quàm circumferentia absque quietis centro. Si obtines, putas te quieſcere; & agitaris inquietudine. Somnias te expertem laboris; & fatiſcis inter labores. Otiari vis; & ingentibus implicaris negotijs. Tollat igitur coronam, qui non noverit. Apage voluptates, ſi quietem ſuſpiras: amor eſt animi otioſi moleſtia. Sed quomodo otioſi? & quomodo moleſtia? Quod moleſtum eſt, perturbat otium; & qui amare incipit, deſperat otium. Ecce quies! Sed qualis in horologio; inquies continuata. Æquè vitioſæ ſunt divitiæ. Beatus qui poſt illas non abijt. Tria ſuſpiria ſunt, conſervandi, acquirendi & amittendi. Poſ-

ſeſſæ

ſeſſæ onerant ; amatæ inquinant ; amiſſæ cruciant. Aurea erant ſæcula, dum neſciebatur aurum. Cæperunt eſſe ferrea, cùm amârunt aurum; quia ex eo tempore nummum habent pro Numine. Maluit tellus metalla hæc occulta eſſe, quàm publica ; hinc in viſceribus ſuis altè abſcondit. Sed avari rimantur viſcera, & penè fiunt matricidæ. Patientia tantiſper ! Redibunt paulò pòſt vitioſi circitores ad terram, unde exiverant, & ingratitudinis pœnas dabunt. Ipſi damnatorum manes ex inferorum ergaſtulis veritati huic teſtimonium ferunt, & teſtantur, ſe erraviſſe, cùm honores, & divitias inquirerent. *Tranſierunt omnia velut umbra : ergo erravimus.* Præclara concluſio ex antecedente ; ſed inutilis, quia nimis tarda. Bonæ præmiſſæ debent poni in vita, ut felix in morte fiat concluſio.

I. Expli-

I.

Explicatio Symboli.

SOl oculus mundi eſt, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ. Quid igitur mirum, ſi Anaxagoras ſe Soli natum dictitârit? Quid mirum, ſi huic, ſemel propiùs viſo, Eudoxus immori concupierit? Quid mirum, ſi Orpheus, Homerus hymnis proſecuti ſint? Quid mirum, ſi Aſtrologi cœleſtem hunc Planetarum Regem ſupra cœlos efferant? Quidquid ridet in Iride, floret in pavone, rutilat in adamante, ſplendet in floribus, placet in tabulis, delectat in homine, à Sole eſt. Meritò quis facem ſolarem omnium colorum matrem dixerit; quos, ùt non omnes efficiat, tamen accendit: Plinius, naturæ ocellus, lucidiſſimum hunc mundi oculum contemplari non poterat, quin ſupra ſolem raperetur, & ſapientiſſimum hujus Artificem miris laudibus extolleret. Cum Angelis ſapuit, qui etiam juxta oraculum Oris Aurei DEUM laudârunt, quando *opus Excelſi* Solem viderunt. Luſtrat hodiéque omnia, & illuſtrat; æternùm pulcher, omnibus pulchritudinẽ cõmuni-

UM exulat. Socius erat Stanislaus DEO, & DEUS Stanislao. Viaticum eſt panis Evchariſticus, quem ante abitum avidiſſimè comedit. Ex quo Divinitatis bajulus cœlo ſucceſſit, cœli in morem ſtare neſcit, ſed montes, & colles tranſilit alacer. Nempe ſurſum gravitat Chriſtus. Hunc qui gerit, ad excelſa pellitur. Altiſſimus eſt; pati valles non poteſt. Deſcendit in hominem, ut homo aſcendat ad DEUM. Sequitur nunc mœſta cataſtaſis, quam Elementa & homines perſolvunt. Rapidus fluvius peregrinanti ſe objicit, ut iter moretur. Hæreticus Paterfamilias ciſiis inſequitur, ut fugitivum Convictorem reducat. Frater, irâ ferox, curſorem agit; minatur abſenti fratri; & pœnis acerbiſſimis nihil deeſt, niſi Stanislaus, quem penè jam tenet. Sed Cataſtaſis horrorem læta excipit Cataſtrophe. Placuit cœlo prompta fuga, & miraculô contexit Peregrinum. Inſequens frater putabat mendicabulum, quando ſub veſte ruſtica aſpexit Stanislaum. Pertinax hæreticus pertinaces expertus eſt equos, & redire cogitur. Torrens unda novum in Stanislao Moyſen

 mira-

mirata eſt, quia ſicco pede tranſivit. Ultimam victori corollam componet Roma, & modulos muſicos facient cœleſtes choraulæ.

III.

Doctrina Moralis.

SPectatum ſatìs eſt, Timothee. Actori plaude, qui *invenit virtute viam.* Id potiſſimùm gratulare, quòd innocens juvenis Hæretico hoſpiti, & liberiori Convictorum conſortio feliciter ſe ſubduxerit. Ventricoſum animal locuſta eſt. Præter ventrem vix quidquam habet: & quamvis alata, ægrè tamen volat. Ubi parùm ſeſe in altum dedit, ventris pondere depreſſa, ſtatim in terram relabitur. Hæreticos refert, ventri totos addictos, jejunij, omnìſque continentiæ hoſtes. His venter DEUS, ùt Tertullianus ait; focus altare; cocus Sacerdos: quorum Fides in culina calet; Charitas in lebete bullit; & ſpes omnis in catino & diſco poſita eſt. Vultum interim humanum gerunt, qualem Aquila exſtatica locuſtis tribuit. Nihil hîc audias, niſi Chriſtum, niſi æternum Patrem, niſi Dominum & Sal-

Salvatorem noſtrum. Væ tibi, ni caves. Spicula occultè figunt, & ſuaviter vulnerant. Plùs dico. Sola curioſitas jam fatalis eſt, quâ hæreticos libellos volvis. Mulieres rapit levitas, & adoleſcentes faſcinat novitas. Quantos non fefellit nomen Auguſtini, etiam falſi? Fidem facit Janſenius, etiam dum fallit: quia ipſum nomen Auguſtini creditur expers erroris. Si me audias, hujuſmodi furfuris Authores combures ocyùs, ne te comburant. Mundo indigna eſt nova doctrina, idcirco falſa, quia de DEO nova. Nihil divinum poteſt eſſe novum. DEUS ipſe eſſet falſus, ſi poſſet eſſe novus. Æquè commendatam tibi velim liberiorum adoleſcentum fugam. Ignorantia, & verecundia ſunt duo propugnacula Innocentiæ. Multa crimina ignorares, niſi & ab alijs committi vidiſſes. Exhorreſceres peccatum, ſi nemo illud patrare te docuiſſet. In medio luporum periclitatur ovicula. In medio ſalſi maris perit dulcedo aquæ. In domo, peſte infecta, non reſpiratur aër innoxius. Erubeſcit quis eſſe bonus, quando verſatur inter malos. Exemplum Magiſter eſt peſſimus. Occaſio allicit: ſocietas abripit: tentatio creſcit:

ſcit: timor decreſcit: gratia minuitur: pudor extinguitur: Natura vincitur: habitus invaleſcit; voluntas indureſcit. Ecce progreſſum iniquitatis! Ecce viam impœnitentiæ! Ecce terminum impietatis! Porrò in turbis ſemper ſunt turbæ. Inter multos vix unquam non magna inquies. Nunquam tutò multis miſceri potes. Inimica puritati eſt promiſcua converſatio. Semper finitimum virtuti eſt vitium, & mali bonis agnaſcuntur Eodem in utero Jacob optimus, Eſau peſſimus, feliciſſimam ſimul, & miſerrimam fecêre matrem. Sæpe hominem quæres, & inter homines nullum invenies; Aut Angelus erit, aut bellua; arâ dignus, vel harâ: adeò mortale genus vel extremos Numinis amores, vel extrema odia promeretur; & voluptati, ac mærori parem materiam dividit. Frequenter fallit externa ſpecies. Chriſtianos ſe vendunt; & Anti-Chriſti ſunt. Reformatores ſe dicunt innocentiæ, & deformatores ſunt. Præferunt vexillum Chriſti, & militant dæmoni. In infernum deſcende, ut faciliùs credas. Cauſam infelicitatis interroga: flebunt ſinguli, & reſpondebunt univerſi: Exemplum pravum nos perdidit! Societas perverſa damnavit!

Google

I.

Explicatio Symboli.

MUltùm debuit Ariadnæ infelix Theſeus, quòd porrectô tandem filô errantem labyrintho eduxerit: plus igneæ columnæ debebant Iſacidæ. Errabant per deſertum; nutabant inter fluctus maris Erithræi; ubique pericula, ubique mors! Rogaverat quidem Hebræorum libertatem Moyſes, ſed à Tyranno! & fruſtra rogantur; quibus aures in oculis. Hinc etiam manum adhibuit. Ut aures audirent, oculos terruit. Sed & manus, quam linguâ facundiorem ſperaverat, fruſtra peroravit. Ita, quos aliquando DEUS obfirmavit, plectas faciliùs, quàm flectas. Igitur aufugit, & erupit, cui abire non licuit. Fugientem inſequitur Pharao. Et aſſecutus etiam fuiſſet, niſi cedente mari incedentes ignea columna ſervâſſet. Hanc ducem habuiſſet Pharao, non periîſſet in vado. Sed artibus ſuis pereunt Tyranni. Meritò in undis demerſus, pœnas dedit, quas naſcenti Moſi decreverat. Par bene-

neficium nautis hodie lucida præſtat Pharos. Errarent in nocte, niſi iſta diem faceret; naufragarentur ad ſcopulos, niſi iſta detegeret: deſperarent de portu, niſi iſta officioſè deduceret. Laudaveris compendió, ſi dicas: *Monſtrat iter, tutúmque facit.*

II.

Proſecutio Vitæ.

IGneam hanc columnam, & lucidam Pharum beneficientiâ ſuâ longè ſuperat Angelus Cuſtos. Imò neſciebat antè infelix mundus beneficij artem, donec conſtitit, Tutelares Genios Humanæ cuſtodiæ deputatos. Putabat, neminem gratis dare debere: hinc nemo donabat, niſi ſibi. Mittebantur beneficia inſtar pilæ, ut redirent. Periiſſe credebatur, quidquid alter non redderet. Sic omne beneficium fœnus, ſic omnis liberalitas erat uſura. Tandem errorem dedocuit Angeli Cuſtodis charitas. Hæc occulta eſt, ut rependi non poſſit. Dat, ut alter accipiat, non ut referat: dat, ut vincat alterum, non, ut vincatur: dat beneficium

ficium non inſtar pilæ, ut redeat; nec, quaſi ſementem, ut danti creſcat: ſed dat ut munus liberale. Placuit rara charitas Stanislao, & pulcherrimam virtutem invidit Angelo. Tres, ajebat, Charites ſunt. Dum una loquitur, debet altera reſpondere: quando duæ beneficia conferunt, debet tertia gratias agere. Duas Charites cedo Angelo: tertiam mihi vendico. Dixit, & omnem curam impendit, ne quod obſequij genus omitteret, quod tanto Mœcenati poſſet gratum accidere. Quin auxiliares etiam aliorum amores emendicavit, ut ſingulari ſecum pietate Tutelarem colerent. Huic ſe manè, huic ſe veſperi commendabat clientem. Huic primas in itu & reditu, primas in Eccleſia cedebat, & menſâ. Demum, ut Angelum dignè revereretur, id egit, ut mente & corpore eſſet Angelus. Penè dixiſſes vivere ſanguinem, ita modeſto rubore genas Angelici juvenis continuò depinxit, ſi quid Angelo indecens ageretur. Profuit hic amor cum aliàs ſæpiùs, tum hoc tempore, quo fidelis cuſtos formâ viſibili cuſtodem peregrinantis agere, & ſe comitem junge-

re voluit: *Monſtrat iter, tutúmque facit.* Rectà Dilingam duxit, quòd Convictum Dilinganum Paradiſum innocentiæ, & terreſtris Angeli cœlum judicarit.

III.

Doctrina Moralis.

EXhibui beneficientiæ Angelicæ leges, Timothee. At ſuas etiam leges habet grati animi virtus. Prima eſt, æſtimare beneficium apud ſe. Nemo quidem in cœlo parvus, nemo parcus eſt; in delectu errari non poteſt, quo demum ordine quemque Divorum colas. Tuum affectum examina, & bene decrêſti. Non hîc dignitates ſanctorum diſtinguere, ſed obſequium noſtrum probare animus eſt. Illud tamen æquiſſimum cenſeo, ut inter cœleſtes Principes tibi princeps ſit Tutelaris; quia tibi princeps eſt inter Patronos. Secunda lex eſt, gratum animum etiam foris explicare. Plerique mortalium, ùt abſint cætera, offendendi metu adulantur. Ammonis libidines excitatæ indolis argumenta ſunt. Abſolo-

nis perduelliones laudantur, ùt facta fortia. Roboami oppreſſiones inter Heroum glorias numerantur. Una ferè contentio eſt, quis blandiſſimè fallat. Etiam divini verbi præcones videntur mutati in aucupes; adeò nihil magìs timent, quàm ne terreant. Vetus & veriſſimum Menandri dictum eſt: amicô, & conſilio rectô, nihil utilius. Nimis ſuſpicioſus eſt, qui de ſincero Tutelaris animo ſuſpicionem fovet. Hic ſolus mentitur nunquam; blanditur nemini; nullius culpas molliter palpat. Cave igitur, ne aut fideles correptiones faſtidias, aut ſancta ſpernas monita. Opere proba conſilium, & moribus oſtende, quanti tantùm amicum æſtimes. Tertia lex eſt rependere majora, ſi poſſis; ſaltem paria; ſaltem minora; ſaltem verba. Nunquam recentem in horto roſam vidiſti? Adulantes apes Reginam hanc ſolerter ſtipant. Nunc lætis ſuſurris applaudunt; nunc dulciſſima libant oſcula; nunc officioſo certamine proximiorem quæque locum occupare feſtinant. Quid autem? Redi ſub veſperum, quo languere roſa incipit; & videbis nudam ſatellite: nec

una

una unica blandientium famularum in obſequijs perſiſtit. Æquè fragilis eſt hominum favor. Hirundines ſunt, & domum amant; ſed avolant, quando ruina imminet. Mergos imitantur, & mare incolunt; ſed ſubducunt ſe, quando procellis agitatur. Solus Angelus amat nullô ſui commodo; nec eorum è numero eſt, qui amicitiam, ùt agrum, colunt: ſi frugem non promittat, nemo ſementem ſpargit. Experiêre ſervum, cùm, deſertus ab omnibus, decumbes in lectulo. Habebis ſocium, cùm ultimùm pugnabis cum ſtyge. Videbis Ducem, cùm evocatus à Judice ibis in Domum æternitatis. Si aliud non poſſis, ſaltem verbis gratum te ſiſte, & reverentiam habe. Abſit, ut Angelo præſente audeas, quod me præſente non auderes.

I. Expli-

I.

Explicatio Symboli.

CElebertimæ olim fuêre Epicteti, Ariſtophanis, Cleanthis, & Callimachi lucernæ, quæ vel ab operis elegantia admirationi fuêre: vel à viris eruditis ad eas lucubrantibus venerationem tulerunt. Et Epicteti quidem Lucerna fictilis, quæ totam ejus ſupellectilem conficiebat, à morte Philoſophi ter mille drachmis vendita dicitur. Pariter ſummo in pretio habita fuit aurea Minervæ lucerna, à materia & opere poſteris commendata. Quid dicam de lucerna in fano Veneris reperta, quæ teſte Hipponenſi Præſule per mille & ampliùs annos nullo olei fomento, in extinguibilis permanſit. Quid dicam de lampade, quam Marcus Tullius ſuæ Tulliolæ accendit? Hæc per mille quingentos annos defunctæ luxit, & Patrum noſtrorum ætate primum Romæ in via Appia, Paulo III. Pontifice Maximo reperta eſt. Multum lucis ac commodi ſuis Dominis dederunt ha

Lampades ; ſed nulla magìs illuminarè poterat , ac illa ; de qua Lucianus , tam illuſtri indignus nomine , fabulatur. Infamis Lenonis anima ad infernam Plutonis Regiam deducitur ; & Confeſſio à malefico urgetur. Herculi priùs clavam ; quèm illi veritatem extorſiſſent judices. Negat effrons , pernegat conſtans ; donec Pluto , Judicij criminalis Præſes ; lampadem in Senatum adduci jubet ; quæ noctu decumbenti lucebat. Hæc verò altùm ſuſpirare , & imos è pectore ſingultus emittere ; ſubinde ſic profari : Pudet vidiſſe tam pudenda ! Et ſæpiùs optabam , modicam , qua luxi , lucem tenebris excæcari , ut tenebrarum operà manerent obſcura. Lucere debui , quando impiè arſit impurus ; & cogebar illuſtrare ea , quæ quàm maximè volebant noctem. Fateor , non raro igneas jeci ſcintillas ; ut ardenti lecto faces adderem , & ignem igne punirem. At incaſſum ſpes , & vota cecidêre. Finit lampas ; & oculato teſti fides habita. Damnatur reus , ſed ex gratia ad rogum ; ne vitæ tenorem mutare cogeretur. Utinam ad hanc Lucem reſpiciat Juven-

tus,

tus, & ſola Lucis opera exercere diſcat! utinam meminerit, nihil tam occultum eſſe, quod non reveletur! ſed eſto, omnes hæ Lampades ſua laude ſint dignæ: prima laus debetur Lampadi, quæ ad aram lucet, & in obſequium DEI Eychariſtici abſumitur. Aliæ ſuis flammis ſerviunt homini; hæc ſua luce ſervit DEO, & ſola dicere poteſt: *Servio, non homini.*

II.

Proſecutio Vitæ.

NOn homini, ſed DEO lucebat Stanislaus. Sed ita luxit, ut ſimul tenebricoſus fuerit. Hem paradoxon! Idem Stanislaus ſuſcipit *contraria*, quia Lucem & Tenebras admittit. Hæc miracula patrat humilitas, vera Thaumantias, quæ licèt ſapientum Magiſtra ſit, nihil tamen ſcire docet. Elementarios ſuos ſevocat in arenam, ubi nec tuba fremit, nec turba. Illud Pythagoreum inſuſurrat, ſilere & ſileri: infra ſe omnia ponere, & ſe infra omnia; denique ſe totos nihilo ſuo, velut pallio philoſophico, invol-

involvere. Placuit doctrina Stanislao; qui ut lateret, fugit. Sed hoc ipſo Peripateticus evaſit. Namque hi ſapientiam addiſcunt ambulando. Quem Auguſtæ fruſtra quæſiit, Caniſium invenit Dilingæ; qui blandè excepit, ùt juvenem, & durè tractavit, ùt virum. Periculum enim virtutis facturus, jubet Dominum agere ſervum, & in æde Convictorum ad menſam ſervire. Sic eſt fermè Nobilitas: ubique ſe effert. Quidquid obeundum eſt, obit ſplendidè. Enutritus in alto Stanislaus, ambit humilia; & in delicijs habet, ſi ſcutellas lavare, & ſordes converrere liceat. Crederes, nunquam aliorum obſequio uſum, ſed in aliorum obſequijs ætatem poſuiſſe. Nec mercenariam navat operam. Non venatur deſcendendo obſequia, per quæ aſcendat. Officioſus eſt ſanctæ humilitatis Candidatus, & vera divinæ nobilitatis eminet indoles. Satis illi eſt, ſoli DEO placere. Soli DEO ſervire. Ut adeò, licèt per totam diem hominibus inſerviat, veriſſimè de ſe dicat: *Servio, non homini.*

III.

III.

Doctrina Moralis.

ROmanis, olim terrarum Dominis; ne de nomine quidem nota erat Humilitas. Inter Chriſtianos hodie etiam imbecilli Juveni familiaris eſſe debet. Nulli ordini, nulli ſexui, nulli ætati arrogantiâ tumere fas, poſtquam ille, qui ex nihilo fudit omnia, annos triginta domi ſuæ, quaſi intra nihilum, latuit. Subinde apparuit, quia palàm contemni voluit. Omnes ad cœlum tendimus; & in cœlum non niſi illi admittuntur, qui contractis quaſi, & in exiguum quid compreſſis membris per anguſtam portam luctantur. Diſputabant olim Præſide Minerva, quid homo eſſet? Dialectica, intellectuum

Domina vocabat breve quoddam enthymema; in qua oratione nihil eſt præter antecedens, & conſequens. Antecedens eſt nativitas, conſequens mors. Aſtronomia appellabat hominem mutabilem, ùt lunam. Phyſica contendit pro animali rationali. Mathematica in hunc modum definijt: Homo eſt velut figura ſphærica. Sicut enim ſphæra in idem punctum, quo incipit, deſinit; ſic homo pulvis eſt, & in pulverem revertitur. Placuit Minervæ Mathematica, & palmam tulit. Nunquid autem monſtroſum foret, ſi pulvis ſuperbiret? Habes pro principio nihilum, & peccatum; habes pro termino ſepulchrum, & infernum. Deſipis, gloriari ſi velis. Imò demitte te, quantùm voles; nec tamen poteris te ſatìs abjicere. Solus Homo DEUS humiliare ſe potuit; quia Omnipotens evaſit debilis; quia Immenſus intra Virginis

ginis ſinum ſe concluſit; quia Æternus factus eſt infans unius diei; quia Immortalis ſe morti ſubjecit. Sed perge ad alta aſpirare, non ero invitus. Ut autem altus fias, humilis ſis, oportet. Omnis vera magnitudo in animo ſita eſt. Nemo prudens ſtatuam baſi metitur. Pumilio parvus eſt, licèt in alpibus ſteterit. Coloſſus magnitudinem ſervat, licèt oceano jaceat conſepultus. In præſepio Chriſtus fuit omni gigante major. Angelus, erigens ſe ſupra altitudinem nubium, pygmæus factus eſt. Nihil magìs plenum eſt illuſtris gloriæ, quàm ſi juvenes illuſtres latere obſcuri, & ignobili etiam plebi ſua ament deferre obſequia. Ad triumphos Herculis plùs honoris reliquis laboribus attuliſſe dicitur draco, quem in cunis interfecerat. Circe eſt ſuperbia, & Ulyſſeæ fabulæ famam arrogat. Superbiens Nabuchodonoſor hominem ſe negavit, nec fuit; ſed ferus homo, vel huma-

na fera, ſeptennium tranſegit. Sed, qui bellua fuit, cùm ſe DEUM credidit, rurſum homo factus eſt, ubi humiliare ſe cœpit, & belluam credidit.

Digitized by Google

I.

Explicatio Symboli.

Audax nimiùm fuit, qui primus Pelago ratem committere, & quatuor à morte digitis vivere auſus eſt. Currenti naviculæ mille occurrunt pericula. Jam furit æſtus; jam intonant procellæ; jam nox ingruit, nimbis tumentibus illunis; jam montes aquarum volvuntur, & putes impugnari ſidera; jam ad profundos vortices feruntur naves; & credas, inferis proximas. Nunc fretum Gaditanum, nunc Anguſtiæ Propontidis ſuperandæ. Perditur ad Promontorium malæ ſpei ſpes bona; & ad Promontorium bonæ ſpei ſpem malam latentes faciunt ſcopuli. Hinc ſubdoli infeſtant pyratæ; inde blandientes in exitium Sirenes trahunt; ita ut etiam illa in mari noceant, quæ videntur recreare. Quod in Sirenibus, marinis illis cantatricibus, foris cernitur, formoſum eſt; quod auditur, ſuave; quod celatur noxium; quod infra aquas demergitur, monſtroſum. Vultus & forma hominis eſt; vox & cantus

Virginis: cauda piſcis: affectus quem celant, eſt naufragium. Quis crederet, mentiri oculis, ut animum fallant? Quis ſuſpicaretur, tam ſuavem edere concentum, ut naves impellant in ſcopulos? Quis putaret, tam dulcem adhibere vocem, ut ſuffocent inter undas? Capio tandem, cur conſpecta terrâ incredibili lætitiâ exultet Achates, & Æneæ gratulatus, Italiam primus inclamet. Felix enim verò, qui portum attigit *Poſt tot diſcrimina rerum!*

II.

Proſecutio Vitæ.

DUdum debebatur Romæ Stanislaus; quia par fuit Urbi incola. Illa emporium hominum; hic virtutum. Illa hoſpitalis; hic benignus. Illa perfugium miſerorum; hic ſolatium. Illam admirantur exteri; hunc colunt domeſtici. Illam venerantur advenæ; hunc ſuſpiciunt incolæ, & ſanctum vocant, antequam beatus eſſet. Igitur quam mundi pertæſus extra mundum quæſierat, tandem *poſt tot diſcrimina rerum* in urbe ſancta ſedem invenit. Prima cura fuit,

fuit, ut ſanctus ad ſanctum properaret, & Stanislaus ſupplicaret Borgiæ; juxta quem olim ſtaret in Ara. Explicuit deſideria ſua Vir Deſideriorum; & poſtquam duodecies ferme centena millia paſſuum confecerat, quietem rogavit. Votorum compos factus, quieſcere non potuit, ſed præ gaudio cœpit exultare. Secutus eſt riſus tam ſincerus, qui teneras adſtantibus lacrymas exprimeret. Fuêre complures, qui viſi ſunt ſanctè invidiſſe Stanislao, quòd non paria olim conſilia iniiſſent. Societatem ingreſſus eſt luce, ſanctis Apoſtolis Simoni & Judæ ſacra; ut in facie Eccleſiæ oſtenderet, Apoſtolicum ſe eſſe. Et annus à parta ſalute milleſimus quingenteſimus ſexageſimus ſeptimus jam fluxerat; quia tantum temporis requirebatur, donec tantus formaretur Tyro.

III.

Doctrina Moralis.

Miraris, nec capis, Timothee, quomodo in urbe Domina, in medio,

dio populi, ſedem extra mundum invenerit Tyro noſter? Ego verò tibi affirmo, cœlum inveniſſe; ergò ſedem extra mundum reperit. Stellarum patria cœlum eſt; ſtellarum patria Religio eſt. Videbis errantes; quia per orbem diſperſæ, inflammant omnia. Videbis fixas; quia DEO conjunctæ, hærent immobiles. Audi ulteriùs, quid illic agatur, cœlum eſſe credes. Silentium, tranquillitas, jucunditas. Amicus ſilentij DEUS eſt: ſemel in tota æternitate loquutus, uno omnia dixit in Verbo. Etiam hîc rarus eſt ſermo; plerumque nemo loquitur, niſi ſibi. Retractant ætatem præteritam, & emendant; recognoſcunt annos elapſos, & meliores faciunt, quia faciunt pios. Neque ibi pietas ſiſtit. Aſſueſcunt morti, olim morituri; experiuntur artem moriendi, ne aliquando errent, ubi nemini errare bis licèt. Imò ut mortem ludant, incipiunt eſſe immortales, dum vivunt. Plùs ultra: auſpicantur æternitatem intra tempus; vivunt vitâ futurâ; præmittunt merita ad cœlum, quibus coronentur, & felices olim futuri, præludunt felicitati.

Digitized by Google

Nil refert, quòd homines taciturni DEUM & ſanctos alloquantur. Hoc colloquium non violat ſilentium. Vita Religioſa tranquillitas eſt. Fruſtra tranquillitatem extra nos quærimus. Donum domeſticum eſt; igitur intra nos naſci debet. Quid nobis prodeſt pax Europæ, ſi in animo ſint pugnæ? Licèt una ſit anima, eundem intra hominem vivit geminus homo. Ille jucunda amat, hic honeſta appetit. Nec ante ſperanda pax eſt, donec ea pars regnet, cui Sceptrum natura dedit, & DEUS imperium. Porrò ut ſemper ratio ſit Domina, bis in dies firmiſſimè ſtatuunt, quid agendum, quid prætermittendum. Momenta utriusque, & argumenta in promptu habent. Adhortantur ſeipſos in hunc ferè modum: Jubet lex ſuprema; confirmant ſapientum teſtimonia; monſtrant bonorum exempla; ſuadet ſalus; ratio dictat; imò urget evidens periculum, ne, cùm velis agere bene, non poſſis. Cùm agere malè, agas tamen; idque tum, quando ultimùm aut bene, aut malè ages. Ex his æſtimant agendi, & prætermittendi parem neceſſitatem: il-

lius utilitatem, huius perniciem; illius dignitatem, hujus turpitudinem. Implorant deinde de cœlo gratiæ ſubſidium, quô naturæ, malè propenſæ, flectant duritiem. Demum etiam ad pœnam DEO ſe obligant, ſi ex humana fragilitate defeciſſe contigerit. Vita Religioſa jucunditas eſt. Verè dixit Bellarminus noſter: cùm eſſem Religioſus, neſciebam, quid eſſet triſtitia. Factus Cardinalis, neſcio, quid ſit lætitia. Etiamnum inter mortales aſſueſcunt cœleſtibus delicijs, & diſcunt tolerare DEUM; ſemper loquentem audiunt; ſemper illius voluntatem adimplent. Dabo in nuce Iliadem. Vita hæc caracter eſt Electorum, Arrha ſalutis, beatæ Spes æternitatis, Sponſio cœli, Beatitudinis Cynoſura, Teſtimonium Divini amoris, certiſſimum prædeſtinationis Signum, æternæ veritatis oraculô juratum. O vitam dulciſſimam! O Paradiſum terreſtrem, quem dulcior alius excipiet Paradiſus!

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

INnatus quidam homini Muſices amor videtur. Arguere ſic pronum eſt ex concinna corporis humani compage, tot oſſibus, nervis, venis, & arterijs, veluti totidem organi fiſtulis, inſtructâ. Vix naſcimur, jam veritati huic ſuffragium damus. Sufficit, ſi Nutrices puerilia præcinant carmina, & triſtis ridebit infans, vel inquietus obdormiſcet. Etiam DEUS Homo, & Verbum Infans muſicâ delectari viſus; dum primò cœleſtes choraulas, & divinam in terris muſicam audiri fecit. Nec Stoici ita ſeveri ſunt, ut caperatam frontem non ſerenent, ſi fortè audiant, qui ex arte minutim concidunt ſonos, & canora velut in puncta diſtinguunt; qui bellè cadentes ad numerum Charites, velut artis appendices ultimas, & quoſdam quaſi cincinnulos, concinnant; qui ductum celerrimè ſpiritum jam ſublimè librant, jam ad ima devolvunt; aut retrorſum à medio curſu reprehendunt, & prorſum verſum impellunt;

qui

II.

Proſecutio Vitæ.

ÆNigma olim fuit: egreſſa ex forti dulcedo, & fortitudo ex dulcedine. Solvit hoc ænigma Stanislaus, in quo dulcedo fortis, fortitudo dulcis eſt. Quàm ſuavis aſpectus eſt! Quàm amabilis conſuetudo! Quàm blanda converſatio! Nemo hunc aſpexit, cui vidiſſe ſemel, ſat fuerit; nemo adivit ſemel, qui adire ſæpiùs non optârit; nemo ab hoc receſſit mœſtus; nemo exivit iratus; nemo adivit malus, quem bonum non fecerit; nemo bonus, qui melior non redierit. A vero non aberrat, qui divini Spiritûs organum appellat. Nec ſolus potis eſt latentem continere, ſed *alios quoque ſpiritus implet.* Quod addo, commune eſt, & tamen illuſtre. Fuêre, qui, Româ in patriam reduces, gloriarentur, vidiſſe ſe Romam, & Stanislaum. Fuêre, qui adderent, vidiſſe ſe innocentiam ipſam, ſuavitatem ipſam. Audacius aliquid dico, & abſolvo. Verba Stanislai imitantur gratiam victricem; & penè ſunt gratia, externa tamen, & adminiſtra internæ. Illa ſuavis eſt, ut animum ſubeat; ſubtilis, ut pervadat; ſublimis,

mis,ut attollat; modeſta,ut deprimat;congrua, ut voluntati ſe accomodet,blanda,ut delectet; potens, ut adjuvet. Sermo Stanislai ſic delectabat, ut perſuaderet; ſic perſuadebat,ut vinceret; ſic vincebat, ut non cogeret, & quaſi prædeterminaret. Nec alibi magis facundus exſtitit, quàm ſi de dono religioſæ vocationis ſermo incideret. Tunc ſuaviter inſinuare ſe auribus, & delinire animos noverat;ut ipſorum penè affectuum Dominus evaſerit Novellus Religioſus. Voluntas audientium manebat Domina ſui, & ſimul fiebat ſubdita alteri. Manebat Domina ſui; quia trahebatur,quò volebat: fiebat ſubdita alteri; quia trahebatur,quò volebat Stanislaus.

III.

Doctrina Moralis.

QUanta hæc infelicitas Juvenum Timothee? Amarus eſt mundus, & diligitur. Putas, ſi dulcis eſſet, quomodo amaretur? Turbatus eſt, & tamen amatur; quid fieret, ſi tranquillus eſſet? Flores mundi quomodo colligerent, qui à ſpinis non revocant manum? Deſpici debebat hic mundus, etſi blandiretur, & rebus proſperis animum demulceret: at poſt-

poſtquam tot flagellis premitur, tanta adverſitate fatigatur, tot nobis dolores quotidie ingeminat; quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat? Mundus clamat: ego deficiam; Caro clamat; ego inficiam; diabolus clamat: ego decipiam; Chriſtus dicit: ego reficiam. Deſipis planiſſimè, ſi deficientes potiùs ſequi velis, quàm reficientem. Quàm facilis in Religione via eſt ad vitam beatam! Multò difficilius eſt, facere, quæ mundus facit. Quid quietę otioſius? Quid irâ laborioſius? Quid clementiâ remiſſius? Quid crudelitate negotioſius? Vacat pudicitia; libido occupatiſſima eſt. Omnium virtutum Tutela facilior eſt; ſola vitia magnô coluntur. Audi, quæſo, quas hominis Religioſi prærogativas Divus Bernardus enumeret. Hic, inquit, *vivit puriùs:* quia in ordine Religioſo nugæ blasphemiæ, & verbum otioſum reputatur piaculum. Convictus ſociorum verè ad omnem modeſtiam compoſitus eſt, & omnes Anguli ſpirant Angelos. *Cadit rariùs:* quia poſitus in caſtro munitiſſimo, quod impugnari poteſt, non expugnari. *Surgit velociùs:* Habet Patrem, qui ſublevet verbis; habet fratrem, qui

ſublevet exemplis. *Incedit cautiùs*: Avicula; quæ laqueo capta, ſemel elabitur, alterâ vice non redit. Nôrunt & viri, DEO ſacri, fallaces mundi hamos; evaſerunt, nec redeunt: cuique ſit experientia cautelæ Magiſtra. *Purgatur citiùs*: conſiderat ignis luſtrici pœnas; hinc vel verbum acerbius, mollior offenſa, riſus levior, copioſior cænula, aſpectus incautior, cogitatio tardiùs expugnata, oculatis Dei ſervis uberrimas lacrymas, ſubinde & Sanguinem exprimunt. *Irroratur frequentiùs*: plantatus eſt ſecus decurſus aquarum; trudit unda undam, & gratia ſubſequitur gratiam. *Quieſcit ſecuriùs*: nullæ ſunt curæ ſæculi; nulla ſolicitudo vitæ. Veriſſimè Kempenſis: in omnibus requiem quæſivi, & nuſquam inveni, niſi in angello cum libello. *Moritur confidentiùs*: qui ſemper ad mortem paratus eſt, non poterit illum mors invenire imparatum. Vix unquam aliquis, niſi cœlo prædeſtinatus, usque ad mortem in religione perſeverat: pronuntiatum eſt Doctoris melliflui. *Remuneratur copioſiùs*: qui centuplum in iſta recipit vita, quantum mercedis accipiet in altera? Finio cum Bernardo; verè clauſtrum, fratres mei, verè religio eſt Paradiſus. Qui poteſt capere, capiat.

I.

Explicatio Symboli.

DUplex hominum genus eſt, quibus impunè datum mentiri. Primi ſunt Aſtrologi, qui Judiciariam exercent, & futura prædicunt, quæ à libertate pendent: poſteriores ſunt Chymici, qui fumos venditant. Vel ſola origo ſuſpectos facit. Ajunt, Chamum Noëmi filium, libros de Alchymia dudum filio Miſraimo reliquiſſe. Atqui orbi notum eſt, quòd præſtigioſus hic inferorum ſcrutator magicas artes orco evocârit, ipſus ad orcum revocandus. Certè nulla fœdior bellua ex arca, natante illo ſtabulo, prodijt. Nam illæ incluſæ caſtimoniam ſervârunt; Chamus ipſo in ſalo ſalax, & in arca ſolutus, ſanctiſſimam illam ſalutis onerariam laſcivo concubitu polluit. Deinde fidenter aſſero, ſciri non poſſe, quod Salomon ignoravit. Hic autem ſi Midæ virgulam domi habuiſſet, non tantis impendijs aurum ex Ophir convehi curâſſet. Quis, amabo, naturæ Conſiliarius intimus, quis ſpectator, aut aſ-

ſeſſor adeò felix fuit, ut veram auri matricem perſpiciat? Miror, ſi Lapis Philoſophicus ad manum ſit, quòd nunquam bene nummatum mundus viderit Alchymiſtam. Quin potiùs, chymicô calente focô, friget culina; Iróque ſimiles, pannoſi, & famelici incedunt; ſua priùs, & aliena dilapidant bona, quàm Lapidem Philoſophicum reperiant miſeri ciniflones. Quoties grandi promiſſor hiatu aureos montes parturijt? Nec tamen peperit aliud, quàm ridiculum murem, qui principibus aurum roderet. Id ſolùm laudis Chymicorum furnis dederim, quòd, dum metalla duriſſima aut fulminant, aut præcipitant, Inferni memoriam commodè ingerant. Vel ſola *internos probat unda calores.*

II. Pro-

II.

Proſecutio Vitæ.

PUtabam, me tragœdiam ſuprà in fugiente Stanislao dediſſe. Ut video, Prologus fuit; & nunc primùm tragœdia incipit. Furit enim verò Pater; contemptum ſe, deſpectam matrem, derelictos cognatos clamat: dolet inuſtum Proſapiæ dedecus, quæ per plura ſæcula feliciter floruiſſet. At enim quàm ineptè! Quaſi multùm interſit, quos majores habueris, ſi tu es minor; quo ex ſanguine fluxeris, ſi es decolor; quo ex genere veneris, ſi degener es. Præſtat, anteceſſores minores eſſe, & te majorem. Præſtat augeri in te, quàm decreſcere; & nolo te Auguſtulum, ſed Auguſtum. Quid juvat, jactare cineres, unde veniſti? Omnis cinis ab Adamo; atque hic à nihilo eſt. Malè explorantur alieni cineres, ſi tui fœtent. Malo, te ex tuo divitem eſſe. Capit veritatem hanc Stanislaus. Aſpirat ad propriam nobilitatem, ne debeat emendicare alienam.

Imò vileſcit ſtatus Illuſtris, prenſat Regium; DEI obſequium amplectitur, cui ſervire, regnare eſt. Sed ſurdo cano. Pergit indignari genitor. Jam degenerem veſpam, jam ignobilem fungum vociferatur filium. Tandem cùm in abſentem fruſtra fureret, ad inſidias confugit, & literas exarat. In his, ut citiùs noceat, tenerrimè amat; ut reditum perſuadeat, viaticum accumulat; ut etiam urgeat, minas intentat. Res mira! Cæcitas Patris viſum acuit Filio. Legit oculîs Amorem humanum Stanislaus, & divinum colligit in corde. *Internos probat unda calores.* Nam ut ardorem cordis reſtingueret: debebant oculi aquas affundere.

III.

Doctrina Moralis.

Paradigma litterarum exhibeo, Timothee. Velim, te attentè legere. Tuo commodo feceris. Ne præcipita ſententiam, fili. Etiam, at-

atque etiam conſidera, quid agas, quantum opus moliare. Diu deliberandum eſt, quod ſtatuas ſemel. In iſta ætatula, puer magìs, quàm adoleſcens, nondum exploraſti, quid humeri valeant. Non præſtabis adoleſcens ea, quorum oneri ne viri quidem pares ſemper vires afferre poſſunt. Turpe eſt, ab incœpto pedem referre; & plenum dedecoris, deſperatâ victoriâ haſtam abjicere. Conſultiùs non arripitur, quod aut cum ingenti moleſtia tenetur, aut non minori infamia dimittitur. Delicatè hactenus nutritus es; quî vitam poſthac aſperam vives? Non licet brevem hîc comœdiam cogitare, ut unum, aut alterum diem hanc perſonam ſuſtineas. Hîc ultimus actus agitur, cùm agitur anima. Longa erit Theatri hujus moleſtia, & ad purpuram redire nunquam conceſſum eſt, niſi ubi immortalitatem indueris. Inſtitutum, quod ambire te audio, novum eſt, & inſolita vivendi ratio. Reprehenderis? tacendum eſt. Infamaris?

maris? diſſimulandum. Vapulas? ſuſferendum. Atque hæc non ſolùm, cùm malè feceris, ſubeunda fortuna; ſed etiam, cùm bene. Nullus apud hos homines purgationi locus, etiam in optima cauſa. Necdum ſatis. Ita aliorum te voluntati, imperióque obtemperare neceſſum erit, ut ne tuſſire quidem, aut ſternutare aliquando, niſi impetrata facultate, tibi liceat. Liberè natus es; liberè vivendum eſt. Ne aviculæ quidem adeò ſine ratione, aut corde ſunt, ut ſeipſas caveis includant, & ignobili morte occidant. Deinde illud præ alijs plùs accepiſti, quòd parentes Senatorij ordinis, quòd tales nactus ſis majores. Paucis verbis omnes ſimul enumero. Geſſerunt illi varios honorum titulos: illuſtrârunt Sagum & Togam. Ignorat partem hiſtoriæ Polonicæ, qui ignorat decora gentis Koſtkanæ. Eſto, difficile videatur, & arduum, inter ſpineta verſari, & non perſtringi; inter enſes & peri-

pericula diſcurſare, & non lædi: at nunquid difficilia, quæ pulchra? Quid magnum eſt, ſi nihil concupiſcat, qui, obſcurâ concluſus cellâ, nihil videt, deſiderare quod poſſit? Quid mirum, ſi pacem conſervet, qui adverſarium non experitur? Quid ſingulare, ſi nunquam iraſcatur, cui inter agnos commorari licet? Illa potiſſimùm laudari virtus debet; non quæ certamen detrectat; ſed quæ ſe contrà infert audacior, & materiem laborum putat eſſe occaſionem gloriæ. Profectò nimis alta Philoſophia eſt, à locuplete in pauperem, à nobili in ignobilem tranſire vitam. Mutabis immaturum conſilium, ſi ſapis, & redibis ad patrem; qui præter optimam hæreditatem etiam Regum favores tibi promittit. Redibis ad matrem, quæ dulces in amplexus ſe parat. Redibis ad cognatos, qui ſpes & amores ſuos dudum in te collocârunt. Scio, quàm reverens ſis. Hinc

Patrem agere volui. Si nutum non obſerves, addo imperium. Iſtud ſi detrectes, Patrem exuo, Judicem induo. Vincula te manent, & carceres. DEUM teſtor, ut tantum familiæ inuras dedecus, non ſino, non fero. Legiſtin', ut parentes ament? Simiæ ſunt; quos tenere premunt, fœtus opprimunt; & perire volunt, quos deperire ſe mentiuntur.



I. Expli-

Digitized by Google

I.

Explicatio Symboli.

STupenda res eſt Magnes. Rerum omnium domitrix ferrum pediſſequam magnetis agere, confeſtim accurrere, parere imperio, aſſiſtere, tenacíque complexu veluti deperiens adhærere cogitur. Jure Lapis Herculeus nominatur; quando inſtar Herculis, omnium domitoris, materiam omnium domitricem domat. Mirati ſunt Ægyptij ſimulachrum ferreum Reginæ Arſinoês, in medio tholo ſuſpenſum pendere. Scilicet Damocrates, ſuprà & infrà paribus armatum viribus, magnetem ita conſtituit, ut æqualis ab utroque vis in ferrum ageret: quo factum, ut nec aſcendere poſſet in tholum, retrahente inferiori; nec delabi in pavimentum, retinente ſuperiori. Magnetis virtus ſignum ſolis, in medio libratum aëre, in templo Serapidis tenebat Alexandriæ. Sola Magnetis virtus hodie apud Turcas prodigioſa eſt, quòd Machometem, ſepultum in inferis, pendentem in alto exhibeat. Famoſiſſimus

magni Ducis Hetruriæ magnes ferream octo librarum maſſam pertinaciſſimè ſibi copulavit. Miraculum pene excedit alter, Lugduni in Gallijs viſus. Si quis ferrum oblongum eminus applicuit, tanta id vi ad ſe rapiebat, ut viri decem, alligato ad ferrum fune, nequirent abſtrahere. Nemini dubium erat, quin virum cataphractum ita tenuiſſet appenſum, ut nullis ſeſe viribus potuiſſet exſolvere. Placet igitur celebre ſymbolum, quod Collegij Romani Sodales ſibi delegerunt. Magnetem offerebant Virgini Matri, ex quo annuli, arcana amoris vi, & ſecreto complexu innexi, catenam referebant, ſubjecto lemmate: *Arcanis nodis.* Vidit ejusmodi catenam Magnus Auguſtinus, & mundi ſtupor ſtupuit magnetem, qui *ferrato pondere gaudet.*

II.

Proſecutio Vitæ.

CRedant alij, naturam deficere: meo quidem Judicio plurimùm proficit. Sa-

Sapiunt hodie præ Patribus Filij. Lutum pro auro, cœnum pro cœlo, miſeriam pro felicitate habuit, & obtulit Genitor. Bellè diſcernebat Stanislaus, & amplum inane riſit. Novit, æquè Familiarum, ac hominum fata volvi; quidquid incepit, neceſſariò deſinere; ſi DEUM excipias, qui nunquam deſinet; omnia in interitum ruere, & ut citiùs ruant, etiam à fatis impelli. Novit, Fortunæ nihil inauſum eſſe; idem jus in arcas habere; omnia fúsque, déque miſcere ſine diſcrimine: cæcam pingi, quia non aſpicit, quod evertit; pilam illi eſſe orbem terrarum; pro ludo & ludibrio habere, ſi per damna Magnatum eat. Novit, caduca omnia; nihil ſtabile adhuc feciſſe naturam, neque ipſam ſtabilem eſſe; etiam è firmiſſimis montibus aliquos à terræ motu aut æquatos, aut ſublatos. Novit, inquam, iſthoc Stanislaus, & quoties promiſſa Patris recoluit, illa melliflui Doctoris verba tacitus repetivit: O durum Patrem! O ſævam Matrem! O crudeles cognatos! Imò non parentes, ſed peremptores! Malunt, ut peream cum eis; quàm regnem ſine illis. Domus ardet; ignis inſtat à tergo; & fugienti

gienti prohibetur egredi! Evadenti ſuadetur regredi! Nunquid autem hæc obſtinatiſſima dementia, & dementiſſima obſtinatio? Ardens ardentibus quod ſolatium præſtare potero? Dixit, & quia magnetis inſtar *ferrato pondere gaudet*, in hæc verba Patri reſcripſit.

III.

Doctrina Moralis.

Cœlites te ſoſpitent, verende Genitor! Sapientis quidem eſt, in quavis alia re diu multúmque deliberare; at nemo ſanus dubitat, an melior fieri debeat. Helleboro indiget, Anticyram ablegari dignus, qui in longam quæſtionem trahit, utrùm DEO pareat, ex ſordibus ad nobiliſſimum vitæ ſtatum liberaliter invitanti. Non debet attendi origo ſanguinis. Periculum eſt, ne in fonte fallamur. Omnis princeps ab ignoto venit, & omnis plebejus è nobili eſt. Nemo bene triumphat alienâ gratiâ. Sola virtus verum Nobilem efficit. Nobilitas hominum eſt, non Nominum. Quanta Judæ Nobilitas fuit; quòd novo miraculo, Numē numeret inter Nepotes, & Judæus dicatur DEUS? Sed tan-

ti nominis gloriam ſimile infecit nomen Judæ proditoris; ut adeò tribus litteris Meſſiæ, Patrem appelles, & Parricidam. Auſtera vita eſt, quam amplexus ſum; ſed ignorare nec potes, nec debes, cœlum, ùt omnia pulchra, in arduo collocatum. Eò non niſi per abrupta & umbroſa, per viam moleſtam, & portam Anguſtam eluctandum. Si Gulæ ſervire, ſi vitam otiò terere, ſi commodis indulgere vellem, cœlum ſperare non poſſem. Non niſi omnia deſerentibus, illud pollicitus eſt DEUS. Scio, etiam in ſæculo eſſe, qui ſua genua ante Baal non curvent; ſed hominem ſapientem id movere nec debet, nec poteſt. Habet ignis hanc naturam, ut exurat; aqua, ut ſuffocet; Petrus in mari, tres parvuli in fornace Babylonica manſêre incolumes: ſtultus tamen ſim, ſi argumento hoc ductus, in ignes & aquas me conjiciam. Potiùs terrere debet, quod paſſim natent tabulæ, merces jaceant in profundo, & ad ripas putreſcant cadavera. Fluxa res eſt humana dignitas. Nulli Fortuna parcit, niſi ſibi. Inſidet rotæ, & ſtabilis eſt; dum movet omnia, manet immobilis. Aulicis primùm

mùm applodit, mox ſupplodit, demum explodit. Quòd ſi aulæ vicibus principum vices accedant, etiam qui cautus eſt, non vitabit has cautes. Qui voluntate, & exemplo DEI vivit, nec ſervit, nec vivit illiberaliter. In oculis Chriſtus eſt, cruci ſuffixus. Cœleſtibus hic relictis theſauris vitam pauperem elegit. In ortu non habuit, quò diverteret; in occaſu non invenit, quo ſe tegeret; nudus obijt. Iſtius me ducis pudeat? Aut Stanislaus non ero, aut ero talis, qualem me eſſe vult Dominus meus JEſus. At vincula manent, imò carcer & mors. Neceſſarium utrique malum minaris. Solvendum ſemel hoc vitæ penſum; quod qui perendinat, morti fœneratur, & diu moritur. Quin, ſi me intactum fata præterirent, ſponte tunc fatis occurrerem, cùm pro DEO pati, & mori liceret. In hoc naſcimur, ut honeſtè cadamus. A primo in Societatem ingreſſu jam ad hoc initiatus ſum, ut DEO hoſtia fierem. Vale genitor. Aliquando laudabis, quod vituperas. Nec verbulum addo, Timothee. Sapienti pauca.

I.

Explicatio Symboli.

PHiloſophus noſter, in quo, teſte Averroë, natura extremum potentiæ ſuæ exhauſit, in hiſtoriâ animalium hæc, cedro digna, locutus eſt; nullum reperitur animal, quantumvis exiguum ſit, in quo non ſit Divina admiratio. Chriſtianè ab ethnico! Divinè à gentili! Certè Grammaticos docuerunt grues, quæ vario tractu ſic per aëra ſe diffundunt, ut aut V, aut Y diſtinctè videantur efformare. Obſervavit id tempore Trojani belli Palamedes, & has literas prioribus Phœnicum addidit. Poëtæ & Muſici cantum ac numeros à Philomela didicêre: quo factum, ut Ovidius pennas & modulos, quos ab avibus acceperat, in celebranda philomela gratanter referret. Sed levia hæc ſunt; majora audite. Nobiliſſima Architecturæ ſcientia prima ab hirundine hauſit principia; quòd eo artificio nidum ædificet, ut peritiſſimos etiam artifices in admirationem rapuerit. Quid rei nauticæ aves contulerint, Plinium con-

ſule.

ſule. Milvus flexu caudæ ſuæ, quo per aëra iter dirigit, modum gubernandæ navis edocuit; cùm natura præmonſtraret in aëre, quid fieri oporteret in aqua. Ita à remigio alarum remos, & à cauda clavum adinvenere, ut inter naves, & aves non ſolùm nominis, ſed & rei ſumma affinitas ſit. At enim illud pene admirationem excedit, quòd ſcientiam, quam omnes ſupremam dicunt, reptitans humi limax doceat. Contemplare, ſi libet. Quomodò te ipſum nôſſe, & domi tuæ habitare debeas, limax oſtendet, qui *nunquam pondus deponit amatum.*

II.

Proſecutio Vitæ.

VElut limax in domuncula ſua, ità aſſiduus in domo obedientiæ hærebat Stanislaus. Extra limites obedientiæ non manum extendere, non pedem efferre unquam eſt auſus. Paradoxum eſt, ſemper mori, ut vivas, & ſemper vivere, ut moriaris. Utrumque

que examuſſim implevit Divus noſter. Moriebatur continuò, quia nunquam ex ſuo, ſemper alieno vivebat arbitrio. Ita vivebat DEO, ut in dies & horas moreretur cum Crucifixo. Omnis illi cogitatio de creata Triade. Jam Jeſum ſibi proponebat, Patri Cœleſti obedientem; quomodo queſtus ſit, ſe tanquam latronem quæri in agro, quem paratiſſimam victimam ſemper inveniſſent in templo (Ita de ſe credi noluit, quod execrabatur in ceteris, qui, niſi coacti, ad divina obſequia non trahuntur) quomodo idem mutilatum Cayphæ ſervum abſque aure non toleret; eò quòd ſenſus hic Obedientiæ ſacer ſit, quem præ alijs ſervare ſtuduit, cùm obedientiam commendâſſet omnibus. Jam Divinam recogitabat Parentem; quomodo recuſârit titulum Matris ſine titulo Virginis: quomodo noluerit concipere de alieno, ſed voluerit de ſuo: quomodo optârit Spiritum ſanctum pro ſponſo, non marito. Jam oculos in Joſepho figebat; quomodo pauper artem lignariam exerceret: quomodo Filius, qui de Nutritij ſudoribus potuiſſet vivere, nutriri mallet de ſuis; & faber lignarius fa-

ctus ex figulo, ad dolabras accurreret: quomodo laborantes adjuvaret mater, & ſegmenta colligeret, ne panem comederet otioſa. Cogitabat hoc Stanislaus; & ut propoſitum Exemplar propriùs imitaretur, Societatis Regulas continuò geſtabat manibus; quòd ſciret, divinas virtutes, ibi ad vivum deſcriptas, contineri. Non ita limaci ſua domuncula, ac Stanislao pretioſa ſunt ſua ſtatuta: *nunquam pondus deponit amatum.*

III.

Doctrina Moralis.

ANnis omnino triginta, Timothee, latebat Chriſtus, & parentibus erat ſubditus, ùt obedientiam te doceret. Nunquid difficilis lectio, quæ tot annis doceri debuit? Porrò ùt infimus ſit, maximè tamen neceſſarius obedientiæ gradus eſt, obſervare ſanctiſſimè, quæ DEUS homini graviter prohibita voluit. Hoc habet impia, ſacrilega, ingrata, maledicta Synagoga, quod jam ſit Eccleſia ſine capite, Religio ſine Myſterijs, Fides ſine veritate, Synodus ſine poteſtate, Templum ſine ſacerdote, Ara ſine ſacrificio, Sanctuarium

rium ſine DEO. Sed enim pereat vetula illa, & dudum putredini matura Synagoga. Major abominatio eſt homo peccator. Extincta jacet Charitas: Fides ſemiviva relicta eſt: Spes languet: Prudentia cæcutit: enervata eſt Fortitudo: Temperantia diruta: Juſtitia corrupta: & quod malorum omnium epilogus, perditus DEUS. Falleris, ſi, qua facilitate pellitur Chriſtus, eâdem putes reduci. Illum, niſi Herodem dimiſeris, non acquires. Reges duos tellus una non capit. Regnare Herodes cum Chriſto non vult; Chriſtus cum Herode non poteſt. Magìs à peccato diſtat DEUS, quàm à Borea Auſter; & faciliùs in eodem nido accipitrem & columbam, in eadem ſpecu lupum & agnum, quàm in eodem corde peccatum, & DEUM repones. Ad vivum ſuis coloribus depingitur peccatum, dum à patre Diabolo dicitur ortum habere. Exſurgunt ſuos in ortus virulenta germina; radicis vitium continuant Thyrſi. Deformes ſunt omnes peccatores, non difformes, quia fœdo exemplari ſimiles. In eo infeliciſſimi ſunt, quòd, quem collegam noluerunt DEUM, pati debeant Judicem. Gaudebunt ad ſonitum organi; at

dulces inter modulos modum non obſervabit mors; ſed inauditum ſecuriùs explicabit pedem, & læta meditantes letho præveniet. Sic in puncto ad inferna deſcendent. Amabo, quàm deteſtanda res peccatum grave, propter quod unicum DEUS infinitè ſapiens, infinitè bonus, infinitè juſtus, illos ipſos homines, pro quibus ab exceſſu amoris etiam mori voluit, ad ſupplicia æterna condemnat! Verùm & illud ſcito, animam peccatricem eſſe infame macellum, ubi Deicidium renovatur. Exaltatur in thronum voluntas propria; depravati ſenſus conſtituuntur conſiliarij; cupiditates aſſumuntur in falſos teſtes; paſſiones agunt furioſam plebem; deliberatur de occidendo Chriſto. Clamant Actores nocentiſſimi: crucifige! Dimitte Barabbam! Vivat voluptas! Regnet peccatum! Moriatur Chriſtus! Et quid agit voluntas perverſa? Agit, quo ſceleſtius nil egit Synagoga. Agit, quo ſceleratius nil agere potuiſſet infernus. Approbat conſilia; recipit falſa teſtimonia; ſubſcribit iniquis poſtulatis, & dum peccat, crucifigit Chriſtum Judex iniquiſſimus.

I.
Explicatio Symboli.

IGnis inter Elementa principatum tenet. Neſcit luci pretium ponere, qui tenebras non eſt expertus. Obriguit mundus univerſus, cùm patiente DEO tenebræ lucem per trihorium oculis eripuerunt: & tamen nunquam copioſiùs, quàm in his tenebris divinus Sol benigniſſimos ſuos radios ſparſit. Excitatum erat in perniciem noſtram cœlum, ut laceſſitum injurijs Numen ulciſceretur; noctem ſuperinduxit DEUS, ut tegeret nos. Quin ut hominum nequitiam faciliùs excuſaret apud Patrem, & efficaciùs, neſcîſſe illos, quid facerent; amoto lumine cæcos fecit. Taceo, quòd conſultò faces ſuas ſol ſubduxerit, ne DEI Imago, quæ tunc maximè depravata erat, ſuperis fieret conſpicua. Stupuit Anglia, dum ſub annum 733. ſol nigerrimo cœpit operiri ſcuto, quod totum ejus orbem contegeret. Hæſit attonita Italia, cùm erumpens ab Ætna cinis finitimas regiones ita obſcuraret, ut per biduum nemo hominem agnoſceret. Horruit omnis Europa, cùm ætate no-

ſtra ſub annum 1706. clara meridies in noctem verteretur; adeò, ut Agricolæ, deſertis operis, fugam ad domos intenderent; brutæ animantes horrendùm ejularent; & multi hominum turbatas naturæ leges inclamarent. Non antè reviviſcere, non reſpirare ſunt viſi, quàm reducem lucem viderunt. Nunquam ſol gratiùs luxit, quàm poſt luctum: nunquam nitidiùs ſplenduit, quàm poſt ſqualorem. Veriſſimè cecinit poëta, *Augent obſcura nitorem.*

II.

Proſecutio Vitæ.

EAdem veritas in Stanislao ad oculum patet. Quò magis obſcurus eſſe voluit; hoc aliorum oculis magis illuxit. Dum riſit, fugítque claritatem mundi, maximum ſplendorem adeptus eſt. Haud immeritò geminos vultus Jano ſuo adſcripſit antiquitas. Quatuor aures habere debuit, ut fabulas undique colligeret: quaternos oculos, ut duobus falſas aſpiceret: geminam linguam, ut ſæpiùs mendax eſſet: geminam frontem, ut utrimque impudens eſſe poſſet. Bi-

fron-

fronti Jano effrontem mundum ſapienter comparat ſapiens Seneca. Bonum eſt, inquit, infantes nos naſci, & rerum inexpertes eſſe. Niſi natura ingenioſô hoc dolô hominem circumveniſſet, nullus foret, qui mundum hunc ingredi vellet. Nihil tam fallax, nihil tam inſidioſum, quàm vita humana. Non mehercule quisquam accepiſſet, niſi inſcijs daretur. Nemo ſorte ſuâ contentus vivit. Formoſa eſt Rachel: ſed ſterilitate affligitur. Lia fœcunda eſt, ſed formâ deſtituitur. Naaman locuples eſt; ſed leprâ ſcatet. Potens eſt Auguſtus: ſed liberis caret. Etiam modici boni nunquam plena in hoc mundo, & quieta poſſeſſio eſt. Convicit Stanislaum Seneca; & fallacem ſæculi pompam generoſo calcavit pede. Hodie è culina redux in obſoleta veſte occurrit Commendono; & adhuc lis eſt ſub judice, an Cardinalis in purpura, an Stanislaus ad conſpectum purpuræ magis rubuerit? Vix loqui cœpit modeſtus Tyro, ſtatim cepit Purpuratum Patrem. Hic, ut viciſſim caperet, aulam Polonicam, quam vidit præſens, commendavit abſens. Ri-

ſit aulæ ingenium Stanislaus, ubi malefacta in ſaxo, benefacta in aquis ſcalpuntur, & cum beneficiario beneficium interit: ubi hæc plerumque principum natura eſt, ut divitias rapiant, quas donant; timeant, quas dederint; ac ditatos calcent, ne calcitrent: ubi cum dignitatibus coacervantur curæ; cùm nullibi plures curæ, niſi in curia. Subinde ſermo ad nobilem Koſtkarum proſapiam delapſus eſt, quam Commendonus ſibi, in Poloniam Legato, notiſſimam dixerat, & cum à ſanguine, tum ab avita potiſſimùm fide prolixè laudaverat. Tandem ad laudes rubeſcere incipit, qui continuus corporis ſui carnifex hactenus ſemper palluit Stanislaus. Declinat reſponſum, & ſolùm ait, inter cineres non debere diſtingui: nullum cinerem olere principem: neque Pontificem agnoſci ex cinere: omnē cinerem eſſe æqualem, & omnem ſanguinem concolorem. Probavit cœleſtem ſapientiam Cardinalis, & nunquam magis ſuſpexit Stanislaum, quàm cùm hic ſe maximè deſpexerat. Adeò non ſolùm coram DEO, ſed & hominibus primum creſcendi initium eſt, velle imminui: *Augent obſcura nitorem.*

III.
Doctrina Moralis.

MAgnanimos nos natura produxit, Timothee; ut quibusdam animantibus ferum, quibusdam ſubdolum, quibusdam pavidum, ita nobis glorioſum dedit, & excelſum ſpiritum. Optimi mortalium altiſſima petunt. Sed qui alta cogitant, longè ultra hunc ſpectabilem mundum animo aſcendant, neceſſe eſt. Qui terram amat, terra eſt; & humi repit, quia lutum æſtimat. Aſcendes ultra hunc mundum, ſi te deijcias infra hunc mundum. Qui latere quærit, & neſciri in mundo, extollitur & mirùm reſplendet in cœlo. *Augent obſcura nitorem* Porrò hæc reſolutio generoſos ſpiritus exigit; ut iſtos obtineas & continuò foveas, iterum atque iterum ſume cibum fortium. Generoſus DEI ſanguis majores mundô, & dignos DEO tibi ſpiritus faciet. Achilles eſſe incipies, poſtquam te Leo Judæ medullis ſuis pavit. Vix ſe Chriſtus diſcipulis appoſuit, non dubitabat, aſpera quæque prædicere. Nôrat videlicet, terreri non poſſe, quos tali amuleto adversùs omnem metum muni-

niverat. Ex quo ſeipſum in ſuprema cœna deglutiit Amor divinus, concepto igne ſtatim febricitare cœpit;& cænaculi, etiam capaciſſimi, non ferens anguſtias, in aperta horti proſilijt, ut reſpiraret. Poſtquam expertus eſt, etiam iterata ſanguinis emiſſione ardorem non minui, tegumenta abjecit, & reclinatus in Cruce, liberiorem aërem nudus captavit. Ita nuſquam minùs, quàm in viſceribus, celari poteſt Chriſtus. Nullæ ſatìs eum latebræ tegunt, quem magnitudo, & numerus beneficiorum detegit. Illud cave, ne pollutus accedas. Idolum Priapi in Cedrón demerſit Aſa; & Ecce! Subitâ gliſcente flam̃â à torrente torretur idolum. Quid ita? Aqua, quæ virgineos Chriſti pedes olim libratura erat, ob impuræ imaginis attactum priùs igne luſtrari debuit. Plus audi. Profanatus Judæ oſculo Salvator tuus ad Patris oſcula venire horruit, donec ſe priùs quà felle, quà aceto lavit: tandem etiam ſpongiâ detergere voluit, ſi quid in labijs de oſculo ſupereſſet. Itaque cor tuum mundum ſerva, quod ſibi in ſepulchrum divinus amor elegit. Cogita, quòd ſe voluerit apud amicum deponere, ne totus eſſet in poteſtate hoſtium.

1. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

OMnium horarum homines exſtitêre Romani, & ad certos horologij pulſus certa opera religiosè peragebant. Primas diei horas mutuis ſalutationibus inſumpſêre: tertiâ forenſibus cauſis vacabant: quintâ omnes opifices inſudârunt laboribus: ſextâ, quæ nobis duodecima meridiana eſt, reſpirabant ab opere: Octavâ exercebantur Palæſtritæ; & nonâ accedebant ad cœnam. Ipſe Pompeius, cùm triumphatâ Africâ victor inveheretur, inter alia ſpolia, artificiô ſpectanda, elegans horologium circumferri voluit; ut palàm faceret, omnia ex horologij, quaſi optimi monitoris ductu cum auſpicanda, tum moderanda. At, quæſo te, quas tu gratias referes, ſi quis tibi horologium offerat pretioſum, aurô vermiculatum, argenteîs radijs in horas diſtinctum, pellucidæ cryſtallo inſertum, in quo nihil deſiderari poſſe videatur, niſi quòd quandoque hallucinetur? Nunquid ipſam quietem vocabis vitium, & errorem

rem vel in auro damnabis? Igitur horologij pretium in pondere eſt, & menſura. Conticeſcet, ſi pondus deſit; & *errabit: ſi plura ferat.*

II.

Proſecutio Vitæ.

QUod pondus & menſura horologio, obedientia eſt Religioſo. Quanquam hic contentiosè laboret, & ſine quiete moveatur, erit tamen quaſi ſine motu & nihil promovebit, ſi agat ſuô arbitriô, & ſacræ obedientiæ pondus deficiat. Pariter *errabit, ſi plura ferat*, ac ſacræ Obedientiæ menſura præſcribat. Qui obedientiam humiliter explet, etiam ſedendo conficit longum iter; etiam quieſcendo abſolvit grande negotium. Vita divina vita eſt humilis. Amat latère DEUS, & intra ſe eſſe. Ante orbem conditum DEUS intra ſe vixit; & ſibi ipſe mundus, domus, ac ſocius fuit. Deinde Homo, & mundi Magiſter factus, cùm alijs ita multis doctrinis tres duntaxat annos dederit, uni

uni Demiſſionis dogmati omninò triginta aſſignavit; ſcilicet ex eo capite, quòd qui in ſchola Chriſti ſemel didicerit ſcire neſciri, facilè demum cætera omnia doceatur. Deinde præter Altiſſimum nemo poterat humilitatem honeſtare: nec minor ſufficiebat Authoritas, ut ambitioſis mortalibus ſui idololatria diſſuaderetur. Profectò virtus hæc difficillima eſt captu. Plures mundos capere potuiſſet Macedo, lectionem hanc non potuit capere: aliàs arenâ exceſſiſſet victor. Sed quia orbes quæſivit, orbem amiſit; & exile ſepulchrum ſubire coactus eſt, quia ſe Magnum jactitavit. Occultam DEI vitam imitari ſtudet Stanislaus. Qui nobis natus eſt, ſibi vivit, & omnes domi delicias in DEO habens, eas renuit veſtigare in publico. At enim nunquam minùs ſolus erat, quàm dum humillimus Juvenis voluit ſolus latere. Vix Zachæus, qui cæteros non æquaverat corpore, ſupra cæteros eminuit fide, & in ſuis etiam oculis homo puſillus factus eſt; illico ad ſe traxit oculos DEI, & juſſus eſt feſtinans deſcendere. Majori favore beatur Stanislaus, ad quem DEUS

ipſe deſcendit, & jacentem miratur Victorem. Porrò cùm DEUS & ſolitudinis, & publici exemplum doceat, ſemper publicus, ſemper ceſſans, & ſemper laborans; ſubinde à MARIA ad Martham redit Tyro veteranus, & gaudet, ſi non fabrilia, ſaltem humilia cum Chriſto agere. Nihil leve ducit, in quo æternum Gloriæ pondus ineſſe poteſt. Etiam coci nutum exhaurit cæcâ ſapientiâ, quam ſciebat oculatam DEO. Hunc nutum, ut obſervaret, parere debuit. Claudius Aquaviva, qui ſocius, &, ſi immodicus fervor in Stanislao id exigeret, etiam ſuperior additus fuit. Uterque miſſus erat, ut ad culinam ligna afferrent: certum tamen lignorum numerum, quem ſingulis quisque vicibus portare debebant, præſcripſerat cocus. Claudio hic numerus nimìs parcus eſt viſus, & ne ipſi quoque ſuis viribus nimiùm parcere viderentur, majorem, ac cocus voluit, lignorum ſtruem ſibi ac Stanislao ferendam

dam collegit. Reſpexit Stanislaus ad Claudium,& riſit primùm, deinde blandiſſimâ voce dixit: A me verò non impetrabis, ut coci mandatum tranſgrediar. Agnovit errorem ſuum Aquaviva; probavit ſubditi monitum, & quem à Rectore acceperat diſcipulum, deinceps veneratus eſt obedientiæ Magiſtrum.

III.

Doctrina Moralis.

UBique minima ſunt maximi facienda. Qui in modico fidelis eſt,, teſte veritate æternâ, conſtituetur ſuper multa: & qui ſpernit modica, paulatim decidet. Ah quàm de minimo periit Adamus, Timothee! Quantum malum attulit malus! Parva ſunt rebus initia; finis immodicus eſt. A minimis eſt exordium: fit gradus ad majora: tandem pervenitur ad maxima. Unicum arenæ granum ſumptis incremen-

tis

tîs excreſcit in montem. Filum capillare incraſſatur in rudentem. Gutta intumeſcit in oceanum. Quanto Danubius alveo in Pontum Euxinum ſe ſe effundit? Et quàm modicis natalibus in Sueviæ planitie è terræ utero proſtillat? Quod in natura, idem in moribus obſervare eſt. Nemo repentè fit peſſimus, nec optimus. Erat primùm in Juda amor inordinatus loculorum; proceſſit ſubinde ad avaritiam, & alimenta pauperibus abſtulit, mox etiam DEUM ſibi. Mirari volueram, ſi potuiſſet perſeverare cum Chriſto, qui pauperem non amaret. Hinc ab avaritia ventum ad proditionem, à proditione ad venditionem DEI, à venditione ad laqueum, à laqueo ad orcum. Ita per ſuos gradus profecit impietas, & dum avara eſſe voluit, prodigaliſſima exiſtitit; quia inexhauſtum ærarium unicâ effuſione abligurivit. Dæmoni ne fide. Non ſollicitat primo ſtatim aſſultu totam animæ deditio-

ditionem. Demiſsè poſtulat alloquium; deinde acceſſum petit ad foſſas; tum demitti vult ſublicium pontem; demum arcem invadit, vexillum erigit, & cordis tui dominum ſe conſtituit. Ecce, quomodo in rima ruinam, in ſcintilla incendium meditetur! Irrepunt parva verſipellis inſtar vulpeculæ, & ideò facilè admittuntur: magna, quia irrumpere conantur apertè, excludunt ſe ipſa. Parva ſilentio ſuo fallunt excubias: magna ſtrepitu excitant præſidiarios. Tenuitate ſuâ penetrant minima: ſuâ mole ingredi prohibentur grandia. Non facilè fauces obſtruuntur oſſe carnis bubulæ; non comeditur, quia magnum eſt. Multis interclufit ſpiritum ſpina piſcium; hæc attrahitur incautiùs, quia minima eſt. Sed eſto; mortale crimen non admittas: jam graviter ruiſti, dum leviter peccâſti. Gravis culpa eſt, quæ DEO adverſatur. Gravis injuria, quæ DEO infertur. Grave malum, quod majus eſt, quàm omnium gentium depopulatio, quàm

 crea-

creaturarum omnium interitus, quàm ipſum totius univerſi excidium. Sufficit dicere, peccatum veniale eſſe quandam actionem, quæ DEO diſplicet. Satis eſt. Ah! Quî fieri poteſt, ut in homine hæc duo concurrant, cognoſcere & profiteri, ſe amare DEUM, & tamen ipſi diſplicere velle?

7. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

NEc navis ſine gubernatore, nec tabella ſine pictore, nec ſine architecto palatium, nec ſine Rege imperium, nec ſine duce exercitus, nec ſine DEO eſt mundus. Si terra, ſi maria, ſi cœli ſcirent loqui: loquentis naturæ vox una hæc eſſet: *datur DEUS.* Et mundi quidem adminiſtratio nihil habet in ſe, quod reprehendi poſſit. Si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet; aut id, quod fieri non potuit, deſiderabit. Porrò quanta maris eſt pulchritudo? Quæ ſpecies, & varietas inſularum? Quæ amænitates littorum? Quot genera, quámque diſparia belluarum, partim ſubmerſarum, partim fluitantium, partim innatantium, partim ad ſaxa nativis teſtis inhærentium? Ipſum autem mare ſic terram claudit, ut una ex duabus natura conflata videatur. Exinde mari finitimus aër, jam fuſus, & extenuatus in nubes cogitur: jam humores colligens imbribus terram auget: jam huc, & illuc defluens ven-

tos efficit. Si cœlum aſpicias, miraberis, uno ſidere omnia impleri; ſolem, contrà quàm putabat Copernicus, quotidiano curſu diei noctiſque ſpatia ſignare; æſtatem, & hyemem æqualiter dividere. Videbis, lunam, ſolis vicariam, aquis potiſſimùm, & rebus humidis dominari. Ita mare: tanquam ſervum, quocunque eat, ſecum trahit; ut, cùm aſcendit, augeatur; cùm deſcendit, decreſcat. Reliquarum ſtellarum ornatum, & numerum quis enarrabit? Nemo certè præter illum, qui ſingulas ſuo nomine vocavit. Igitur hominem non dixero, qui univerſum hoc & caſu coaluiſſe, & ſine ratione gubernari, affirmet; cùm nullo conſilio aſſequi poſſit, quanto iſta conſilio gerantur. Ipſa inanima artificem mirantur intellectum; & Circinus, in globo expanſus, *totum cupit ire per orbem*: Adeò pellax eſt rerum creatarum varietas, & pulchritudo.

II.

Proſecutio Vitæ.

AMpliora Stanislai fuêre deſideria. Unus illi orbis non ſuffecerat. Vaſtiſſimo ſuo corde plures mundos amplectebatur, quos Chriſto lucrifacere optabat. Neceſſe eſt fateri: Summa res deſiderium. Hinc eidem pro regno datus eſt mundus. Quidquid in ampla hujus ſupellectili continetur pretioſi, ad illius obſequia deſtinatum eſt. Interim dum omnia attingit, deſiderium; dum omnia percurrit, non movetur. Volitat per aëra cum avibus: trajicit æquora cum navibus; innatat aquis cum piſcibus: conſcendit montium cacumina cum feris: diſcurrit per latebras cum canibus venaticis. Adeò nullis circumſcribitur limitibus; nullo anguſtatur loco; nullo contrahitur littore; vaſtiſſima petit, & *Plus ultra* habet pro teſſera. Illud lacrymîs digniſſimum, quòd, ſicut omnium ferme mortalium eſt deſiderare, ita paucorum ſit, ſcire deſiderare. Multorum deſideria imitantur foſſores auri, qui cavitati-

 bus

bus non contenti, novas aſſiduò caveas fodiunt, & umbras eligunt, ut lucem abigant, ſibíque noceant. Utinam à Stanislao deſiderij modum addiſcant, licèt hic abſque modo deſideret! Nihil grande, nihil arduum eſt, & heroicum, quod vota Stanislai fugiat, aut excedat. Quos fines præfixit ſibi Homo DEUS, ij ſunt fines zeloſi Tyronis. Major Gloria DEI, ſalus animarum, auxilia ad ſalutem, ſcientiæ & virtutes, ſupplicia, exilia, cruces, & mortes: hæc eſt materia Zeli. Aut terminos non habet hic zelus; aut limites hujus ſunt limites mundi. Suſpirat Indos, amplectitur Sinas, diſſuaviatur Japones, omnis populus eſt ipſi popularis, & nulla gens eſt, cui ipſe non velit eſſe gentilis. *Totum cupit ire per orbem*, & DEO plenus optat nunciare DEUM, ubicunque DEUS eſt.

III.

Doctrina Moralis.

ET tu Alexander eſto, Timothee, cui unus orbis non ſuffecerat. Nollim tamen, deſideria tua in alium ferantur caducum pariter, aut imaginarium

mun-

mundum, ubi præter fortunæ luſus, honorum inſtabiles ventos, divitiarum luteas maſſas, & voluptatum venena, *nihil.* Tyanæus conſcendit Caucaſum, ut avium cantum perciperet; tu Olympum pete, ut Cœlitum intelligas muſicam. Ut itineris ſocios habeas, proximum lucrare. Venationi hominum adeò laboriosè inſudavit Redemptor noſter, ut in ea fatigatus ſupra fontem quieſcere debuerit, quando ad hauriendas aquas Samaritana acceſſit. Sitis ſolatium non ab hydria, ſed ab anima haurientis exſpectans, rogat hauſtum aquæ, ut rependat fluvium gratiæ. Quos coqui Apoſtoli cibos attulerant, faſtidit. Et ut gulæ ſuæ genium prodat, palàm edicit, cibum ſuum eſſe, ſi Patris voluntatem expleat. Quo quidem apertè ſignificabat, nunquam ſe epulari lautiùs, quàm ſi peccata comedere, & oviculas poſſet ſervare illæſas. Imo cùm in Domo Patris ſui manſiones multæ eſſent, pauci cives; mortuus deſcendit ad inferos, & vel ab inferno corraſit coloniam, quam illuc deduceret. Divino Venatori canes venatici deſunt. Age, & animas in ſpeluncis ac receſſibus prædare. Infelix receſſus

peccatum eſt; nec receſſus ſolùm, ſed & infelix etiam acceſſus. Receſſus à luce, acceſſus ad tenebras; receſſus à DEO, acceſſus ad Sathanam Ovicula ejulat inter lupi dentes; & ſubvenis. Turtur gemit inter ungues accipitris; & accurris. Ecce! Formoſiſſima illa Rachel, pro qua Chriſtus non quatuordecim, ſed annis triginta tribus ſervijt, hæret intra fauces infernalis draconis; opitulare, DEUM urge precibus, peccantem monitis. Suade exemplô, concionare modeſtiâ, vitam offer, ſanguinem para. Noli, quæſo! excuſare te, quòd nulla ad id lege tenearis: aut ego jubebo, Salvatorem tuum de cruce deſcendere, cui tui amore affixus hæret. Nec enim ulla lege tenetur, ut tam caro ſanguinis ſui pretio te redimat.

I.

Explicatio Symboli.

INduſtria mortalium , & ſolertia ingeniorum aſſecuta eſt , quæ nunquam ullus veterum Romanorum , vel Græcorum excogitavit. Inventio papyri ex vilibus centonibus , quid non orbi utilitatis attulit ? Cùm veteres illi litteras ſuas in corticibus arborum deſcriberent ; unde & Tabellarij dicti ſunt. Quis artem libros imprimendi ſatìs admiretur? Sex millibus annorum nullus codex, nec ſacræ, nec profanæ paginæ exſtabant, niſi ſummo labore, & magna lucubratione ſcripto exaratæ : donec Moguntiæ in Germania Joannes Gudenbergh typos primùm fudit, digeſſit, prælo aptavit, & unâ impreſſit die, quantum vix anno ſcribebatur. Ignorabant olim campanarum uſum , quas ſanctus Paulinus, Nolæ in Campania Epiſcopus, in Eccleſiam induxit. Omnes Romanorum teſtudines , baliſtas , & arietes hodie parvulus pulvere nitrato ſubvertit, quem Bertholdus Niger, Monachus, adinve-

adinvenit. Sic tubi optici, & conſpicilia, humanis uſibus pernecesſaria, plauſum tulêre. Verùm laudem præripuêre omnibus Acûs Magneticæ Authores, quæ virtute inſita ſemper ad ſtellam polarem ſe convertit, & *plùs diligit omnibus unam* Hæc nautarum dux & Magiſtra eſt, quo in climate verſentur; quò curſus dirigendus; quæ vada, & ſyrtes vitandæ. Hac nihil unquam humanis excogitatum artibus, humano generi magìs profuit. Hujus adminiculo Fides ad extremas terræ oras feliciter migravit, & noſtræ fiunt orbis alieni opes.

II.

Proſecutio Vitæ.

EAdem Stanislai inclinatio eſt. Stellam Polarem *plùs omnibus diligit unam.* Mariam intelligo, illam Maris Stellam, quæ benigno ſidere omnibus præſto eſt, quotquot inter fluctus & procellas hujus mundi periclitantur, ut illuſtret & viam ad ſecurum portum commonſtret. Imò ipſam JESU Societatem Clien-

Clientibus ſuis ad portum erexit; maternâ curâ adverſùs tempeſtatum aſſultus ſervavit illæſum, & uti favore, ita amore ſpeciali ſemper dignata eſt. Ad hunc portum invitavit Stanislaum: paruit vocanti, lætus intravit portum, & affectu tenerrimo amplexus eſt Societatem. Quid mirum? Amantium inter ſe ſtudia non tendunt in diverſum. Ut idem protinus amet uterque, ſatìs eſt amor alterius. Rapit is ſecum amici animum & vota, quocunque fertur. Amor animos non tantùm inter ſe jungit, ſed eoſdem facit; ita ut nec poſſint velle contraria, & tamen amare. Ut unica voluntas à ſe divelli non poteſt, & tamen amare, ita nec amantium affectus diſſidere poteſt, quia unus, quia idem eſt. Atque hic dulciſſimus amoris fructus eſt, idem velle, idem amare. Quid verò mutuo amore conjunctius, quàm *JESUS & MARIA*? Societatem amavit JESUS; & amavit MARIA. Huic JESUS ſe propitium fore adpromiſit; erat propitia & MARIA. Felix Societas! In quam tam dulcis certaminis fructus redundat: cui ut benefaciant, certant JESUS & MARIA.

At

At enim necdum ſatìs de MARIA dixi. Societas JESU, quanta quanta eſt, Beneficium eſt MARIÆ, quia MARIÆ debet Ignatium & in Ignatio ſe totam. Colligit inde Stanislaus, MARIAM Societatis Matrem eſſe longè amantiſſimam, atque adeò maximam ſibi obligationem incumbere, ut dignum ſe Filium tantæ Matri exhiberet. Quare nihil priùs habuit, quàm ut animum indueret Filij. Solo Matris nomine MARIAM ſolebat appellare, ídque tam ſuaviter, ut ille non virtute minùs, quàm ſcientiâ præſtantiſſimus Theologus, Emmanuel Sà aliquando admirabundus dixerit, vocem nequaquam ſibi hominis viſam fuiſſe. Certè mira ſemper in vultu gratia relucebat, quoties illi de Matre Gratiarum ſermo. Nunquam magìs viſus eſt comburi, quàm cùm de Rubo Incombuſto loqueretur. Frons, oculi, vultus luculentè prodebant affectum & palàm teſtabantur, quia MARIAM *plùs omnibus diligit unam.*

III. Do-

III.

Doctrina Moralis.

NIhil ego de tuo in Deiparam affectu dubito Timothee, Sodalis cùm ſis. Primam dubio procul ſedem filialis in Mariam pietas in corde tuo occupaverit. Dubitarem ſanè de tua ſalute, niſi ardentiſſimo in eam amore te ferri, imò rapi crederem. Idem eſt MARIÆ dilectum eſſe, quod electum. Idem à MARIA amatum, quod beatum. Jam olim pars ſalutis fuit, credere Matrem DEI. Colebatur à Patribus Mater DEI futura: offerebantur preces Virgini pariturae; tradebatur haec pietas à patre Filio, ab hoc nepotibus. Natae ſunt Congregationes Virginis, antequam ipſa naſceretur. Quid ergo magnum eſt, Timothee, ſi ſervias Virgini Natae, cui Patres tui ſerviêrunt futurae? Praeſertim cùm id maximô tuô lucrô fiat. Mater DEI eſt; ergo filia DEI Patris: igitur petet à Patre, cujus filia eſt, gratiam electionis pro ſervis ſuis. Mater DEI eſt; ergo requiret à Filio divino, cujus Mater eſt, haereditatem pro fratribus, quorum ipſe primogenitus. Mater DEI eſt; ergo exiget à Spiritu Sancto,

cu-

cujus Sponſa eſt, Sponſalitiam æternæ ſalutis arrham pro amatoribus ſuis. Igitur tota increata Trias eliget, prædeſtinabit, quosquos, & quotquot materno affectu MARIA commendaverit. Nec mirum, quod MARIA incomparabilis hujus doni adminiſtra ſit; cùm illi DEUS donârit ſeipſum, & illa hominibus donârit DEUM. Non deeſt illi voluntas donandi, quæ à DEO donare didicit. Non deeſt facultas, quam DEUS penè omnipotentem reddidit. Imò non tantùm eſt adminiſtra hujus doni, ſed amoris impotens etiam Dominam vocat Marianus Bernardus; quaſi diceret in exceſſu ſuo: Rogare poteſt Filium, ſi velit donare: ſi nolit, urgere. Quanquam urgendus non ſit Filius, qui legis obſervans, quam tulit, reveretur Matrem, explorat ejus vota, & prævertit imperia. Porrò ut ab hac eligaris, elige; vult à te eligi. Neminem relinquit miſerum, niſi eſſe velit. Quid, quòd nec omnes patiatur miſeros, qui eſſe volunt? Patet omnibus, etiam dum non patet DEUS. Poſt amiſſum DEUM adhuc ſupereſt Mater Dei: & poſt naufragium adhuc ſe offert tabula navis. Abjeciſti hanc tabulam; periiſti. Apprehendiſti illam; evaſiſti.

L. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

ANacreonte judice, Roſa honor decúſque florum; Roſa cura amórque veris; Roſa cœlitum voluptas. Omnium oculorum pellex eſt, quos ſuâ facit ardere formâ. Opes habet, & formam; & etiam anus placere poteſt. Verùm non hîc tantùm oculi prenſant; ſed & manus, & nares. O Roſa (aiebat roſacei odoris amantiſſimus) quàm velim, cùm te olfacio, cum Catulli Fabullo totus fieri naſus! Tu in triclinijs & menſis, tu in hortis & aureolis, tu in templis & aris, tu ubique formoſa es. Lis de te ſit, odore, an colore magìs placeas. Color tibi nobiliſſimus; odor gratiſſimus. Natura geminas has tibi dotes conceſſit, ut imperium haberes in omnes flores. Tu, ò Roſa, horti purpura, veprium ſanguis, corollarum oſtrum, murex ruborum, valetudinis antiſtita, morborum fugatrix, reparatrix ſanitatis, menſæ amænitas, gratiarum çura, capitis ornamentum, narium deli-

delicium, illicium oculorum, Regina florum, flos florum omnium. Quid mirum igitur, quòd prodigioſus hic naturæ partus tam ſollicitè cuſtodiatur? Adverſus noctis injurias in globum contracta clauditur. Aurora ſurgente in calycem cuditur. Sole altiore Nympha hæc incedit explicatior. Demum ſpinis ſemper munitur, quas divinus opifex non ignominiæ dedit, ſed cuſtodiæ. *Tuta eſt cuſtodibus iſtis.*

II.

Proſecutio Vitæ.

SPargite lilia, jacite roſas, nectite corollas, dicite pæana triumphatori Stanislao! Admirabilis fuit in pugna, mirabilior in victoria, glorioſiſſimus in triumpho. Sine ferro vulneravit, & fugiendo ſuperavit. Ante currum triumphantis trahitur ligatis manibus Amor impurus, quem vincere pulcherrima eſt victoria. Fuit Samſon Alcidis coætaneus, Alcidi ſimilis, robuſtus & fortis. Primus illius labor, qui

qui primus Alcidis, leonem immaniſſimum ſternere. Dulciore tamen victoriâ, ferinas inter exuvias favum mellis invenit. Philiſteos ſubinde triginta occidit, & hoſtium ſpolijs hoſtes induit. Mox trecentis vulpibus faces ſubligat: ludicro initio, flebili eventu. Nam incendiariæ animantes, per ſegetes ſparſæ, famem cum flammis ſpargunt. Necdum contentus, aſelli mandibulâ cervices cataphractorum terit, & Philiſtinis deſtinatus ad prædam, exitu inopinato declinat exitium, quando urbis compages revellit, & portarum fores foràs portat. Sed tantam famam Amor impurus infamaverat; & qui leones ſtravit, à lupa ſternitur. Ne ſuos amores contriſtet, virtutem, comis implicitam, prodit: quibus per fraudem reſectis, enervis in nervum mittitur, & oculis orbatur, quos dudum in aliena fronte perdiderat. Samſone fortior eſt Tyro parvulus, quia prudentior Stanislaus. Sciebat perbene, etiam Martem facillimè capi, ſi Venus captaretur: etiam robuſtiſſimis tergiverſari difficile eſſe, ubi apparitor Cupido faces admovet: ceterùm nunquam majus pro-

 ditio-

ditionis periculum, quàm ſi ſenſibus libertas concederetur. Hac de cauſa perpetuum carcerem indixit oculis. Illibati auditûs ſpecimen ſuprà dedimus. Nullam rem aut nativo, aut adſcititio odore imbutam, in manus ſumpſiſſe viſus. Delicatum tactum cilicijs, & flagellis peſſimè habuit Guſtum credi poterat funditus perdidiſſe; adeò inter epulas, animo ad divina defixo, nullum cibi percepit ſaporem. Qua integritatis cuſtodiâ eam à DEO adeptus eſt innocentiæ prærogativam, quæ non homini, ſed Angelo debita, illum ſupra communem mortalium ſortem procul evexit.

III.

Doctrina Moralis.

NEmo caſtus, Timothee, niſi cautus. Sine cura & ſollicitudine nec hortus à lolijs, nec integritas à labe conſervatur immunis. In flammam mutatur flammarum hoſpes; & cœlo cadens, ubi ſtare non potuit, incendit, quacunque incedit. Quamdiu ſenſus probè ſunt

ſunt clauſi *tota eſt cuſtodibus iſtis* Innocentia. Per hos ſi pateat aditus, ignem concipiet, & in cineres ibit miſera. Opes magnæ malè cuſtoditæ, non fures tantùm alliciunt, ſed eosdem faciunt fures, qui hanc aliàs artem non factitabant. Ante omnia Huſſitarum Principis exemplo fœdus paciſcere cum oculis, ut ne cogites de virgine. Lubrica res eſt amor. Medullis coërcitus pupillas rumpit; cæcúsque per oculos viam rimatur. Rectè oculi ſunt fletus inſtrumentum, quia ſunt peccati principium. Ab obtutu curioſo tranſitur ad verbulum unicum: non diu poſt profertur quid ſubobſcœnum: mox & ridetur: deinde etiam geſtibus aliquid ſibi amantes ſignificant, nec quidquam ulteriùs. Tandem ignis hic modicus totam abſque remedio comburit animam, & præter laceras Chriſtianæ fidei reliquias nihil jam ſupereſt. Penè damnâſſem oculi retinam, quòd tam multos irretiat, niſi nobiliſſima visûs ſenſatio ibi formaretur. Alterum eſt, ut à fœminis tibi caveas. Pharao fœmineos Hebræarum fœtus vivere jubebat ad venerem; maſculos vetabat: æquè iniquus,

dum perdidit, ac dum pepercit. Puellarum ſinu peſſima foventur incendia, quæ, diu clauſa, ruinam faciunt. Et quid videas in fœminis, niſi fictum? Inſulſa Lothi uxor migravit in lapidem; mortua eſt in ſale; quo carebat viva. Sic ſolent fœminæ. Sapiunt, cùm pereunt. Fuge hunc ſalem, ſi ſapis. Sapuit caſtiſſimus Ægypti Prorex Joſephus, dulces illæ Rachelis primitiæ. Serviebat impuræ purus; captivæ ingenuus. Quia liberali mancipij ſpecie capitur domina, & verecundum inverecunda procaciùs perſequitur. At ille Domino, quàm dominæ obſequentior, ſtatim fugit, nec ſuum ampliùs pallium auſus eſt tangere, quod fœminæ tetigiſſet. Quid multa? Magdalena experta toties, quæ de JESU virtus exiret, non contenta videre, volebat etiam reſurgentem tangere. Arcet ille manum fœminæ; ut videres in DEO, cui non fideres homo.

I Ex-

I.

Explicatio Symboli.

SI mortalium ullus unquam *Magnifici* nomen jure potuit adipiſci, certè Salomon adeptus eſt. Regum baſilicæ, imperatorum curiæ, ſeptem orbis miracula, Epheſinæ Dianæ templum, ad unum Salomonis templum mapalia fuerunt, & tuguria. Operarij templi tot fuerunt, ut, niſi eorum numerum diſtinctiſſimè dicerent divini libri, vix quiſquam fidem haberet. Hieroſolymis laborârunt hominum ſupra centum millia trecenti. Proſelitorum, in monte onera portantium, 70 millia; latomorum, & ſaxa templo parantium, 80. millia; Præfectorum 3600. Nutriit has operas ultra ſeptennium, & ditavit etiam ditiſſimus Rex ſine hoſtium ſpolijs, ſine amicorum injurijs. Augebant ſplendorem trabes innumeræ, & quidem, quod fidem penè excedit, maximam partem cedri, quæ ſenectutem neſciunt, & cariem non admittunt. Dixiſſes, ſylvas integras in unam do-

mum commigrâſſe. Lapides erant ſaxa quadrata, & marmor Parium candidiſſimum. Crederes, tantam molem non humana induſtria, ſed angelorum operâ eductam. Ut paucis dicam omnia: duo potentiſſimi,& ſapientiſſimi Reges omnem & ſapientiam, & opulentiam huic fabricæ inſumpſerunt, Sed heu! Quàm nihil mortale durat! Illam angelorum coloniam, cœli ſuburbium, quò nemini polluto impunè penetrare licuit, homicidæ perſultant flammæ, eodémque elemento profanatur ſanctuarium, quo luſtrabatur. Liqueſcit lampas, æterni ſolis æmula. Jam nihil eſt, niſi lampas una, totum templum. Armillæ, & mundus fæminarum præda ſunt, inter incendiarium, & incendium diviſa. Incumbit ſpolijs prædator ignis: quia avarus juxta ac prodigus, quidquid rapit, momento decoquit; & alumnus ingratus alentem perdit materiam. Accurrite cives, *ferte citi fontes*!

II. Pro-

II.

Proſecutio Vitæ.

REpeto: *Ferte citi fontes.* Incendium! luculentum incendium! copioſæ flammæ erumpunt è pectore Stanislai. Corculum parvi Juvenis continet grandē DEUM, qui Ignis Conſumens eſt. Quis capere poſſit capacitatem cordis humani? Modica pars corporis cor eſt, & mundi particula; at enim cordi Stanislai ipſe mundus votorum particula eſt. Admittit omnia, nec impletur: poſt omnes theſauros adhuc avarum, poſt omnes delicias adhuc avidum, poſt omnium bonorum copiam adhuc egenum eſt: etiam, cùm plenum eſt, vacuum manet. O amplitudinem cordis, æqualem amplitudini DEI! Meditabatur Auguſtinus myſterium Trinitatis, & audaci cogitatione eò ibat, quò ire homini non licet. Riſit Angelus puer Doctorem ſenem, & foſſulam oſtendit, in quam priùs ſe totum oceanum dixit derivaturum, quâm Auguſtinus in ſe totum derivaverit DEUM. Agnovit errorem Auguſtinus, clauſit in-

genium, & cor aperuit. Res mira: Statim totum excepit DEUM. Sequitur tantum Doctorem diſcipulus Stanislaus. Quod à DEO acceperat cor, vix DEO reſtituit, plenus DEO inceſſit, & immerſus divinis animus poſthac ad creata emergere non potuit. Haud immeritò Stanislaum templo comparares, ubi fidei Petra fundatur in baſin; virtutes eriguntur in columnas; divinæ gratiæ diſponuntur in feneſtras; amor exaltatur in tholum; ſenſus aperiuntur in portas; divinæ laudes animantur in muſicam; cor exornatur in aram; voluntas conſecratur in ſacerdotem; cupiditates mactantur in victimas; pia opera offeruntur in ſacrificia. Certè nihil videbis in hoc juvene Religioſo, quod non ſacrum horrorem, cœleſtem quandam reverentiam, religionem angelicam, & divinam quaſi ſpiret majeſtatem. At enim templum hoc Divinus ignis ſubinde ita corripuit, ut ſoliciti tyrones exclamârint: *ferte citi fontes!* Verùm novô miraculô aqua ambiebat ignem, non extinguebat: pacem in corde retinent ignis & aqua. Qui alibi hoſtes, in Stanislao amici ſunt, & domûs ejusdem inquilini.

III. Do-

III.
Doctrina Moralis.

NOn fruſtra imberbis ore pingitur Divinus Amor, Timothee. Vult imago hæc cum parvulis ſemper creſcere. Ut nemo ſine corde, ita nemo vivit ſine amore. Felicem te, ſi amor tuus ibi ſit, ubi amores poſuiſſe nunquam pœniteat! Rara inter homines amicitia conſtat. Sæpe, quos manè junxerat dies, ſerus idem dividit. Sunt corcula plerumque diaria, lubrica, & fluxâ fide. Sunt homines plumâ magìs plumei, & vitrô magìs vitrei, indigni amici nomine. Sic amat amicus Pylades, ut nemini bis ſit amicus. Sic amat amicus DEUS, ut amorem æternus foveat. Elatus in crucis cathedram Magiſter hic veri amoris, idiomate amantium poſthac loquuturus, ore clauſo cor aperuit. Fideliorem interpretem doctrina cordium hactenus non invenit. An amet, & loquatur ex corde, transfixum latus, veluti novum guttur, interroga. Videbis, quàm ſincera tela tibi faber Amor cudat, & ipſa pectoris arcana pandat. Cùm adhuc multa volentem flere ſpiritus defeciſſet, quas non po-

tuit ampliùs ex lumine, dedit lacrymas ex vulnere; ut novo probaret argumento, quòd amicorum calamitates planè miſeratus ſit ex corde. Quid ergo hoc eſt? Ubi judicium noſtrum? Ubi fides? Amantur opes, pecuniæ, aurum: quid periculoſius? Amantur honores, tituli, dignitates: quid vanius? Amantur deliciæ, voluptates, illecebræ: quid fœdius? Amantur equi, canes, feles, porci: quid vilius? Etiam quæ odio digniſſima ſunt, Mundus, Caro, & Dæmon amantur: ſolus *Amor non amatur.* Fierine poterit, ut, cùm DEUS ita diligit hominem, tam parùm homo diligat DEUM? Ama, amabò, Amantem te! Nimis durus fores, ſi amorem rependere nolles, poſtquam te tanta dilectione prævenit. Non alius petit cor tuum, quàm qui illud condidit: imò munus credit, dum ſuum recipit. Implere hoſpitium cupit, quod exſtruxit ſibi. Ne homo cor recuſet, impreſſit cordi deſiderium ſui, & tamdiu inquietum reddit, quamdiu eo hoſpite caret, qui ſolus hoſpitium implere poteſt. Admitte, & ama me, clamat tibi apud Divum Bernardum; aut ego damno te.

I. Expli-

I.

Explicatio Symboli.

QUi laudes Auroræ celebrant, mirum, quantum facundiam ſuam exerunt. Solis eam vocant filiam, oculorum jucundiſſimum ſpectaculum, venuſtatum Deam, primi diei pictiſſimum decus, Anteambulonem regis aſtrorum, gemmis & unionibus refulgentem, voluptatem in Theatro mundi omnibus ſenſibus blandientem. Inde eſt, quòd populi ad Polum Boreum ſiti, cùm ſex admodum menſes in continua verſari nocte cogantur, reditum ſolis avidiſſimè præſtolentur. Locant excubias in jugis montium, ut albeſcente cœlo abs mora feſto tubarum ſono incolis auroram denuntient. Quanto, putas, gaudio ac plauſu Pontici illi, & Cimmerij, quibus ſive DEUS, ſive natura omnem ſolis aſpectum ademit, exorientem lucem ſalutarent? Nos ipſi poſt brevem noctis moram experimur auroram, ut horam auream, qua cantare aviculæ, ridere prata, levari ægroti, & mortales omnes

penè

penè ad vitam redire ſolent. Verùm nullibi magìs, ac in floribus, gratioſam Auroræ virtutem videre eſt. Vix illa roſeîs bigîs invehitur, ſtatim vario ſe ſchemate, ac odoratiſſimâ animâ, quam alij ex alijs pro naturæ ſuæ ratione exſpirant, flores exhibent. Rubent anemones, ranunculi, violæ: candent hyacinthi, lilia, caryophylli; ſplendent calendulæ, fritillaria, tulipæ; in quibus neſcias, quid tibi ſit gratius, floris color, vel figuræ venuſtas, vel odoris ſuavitas. Dum noctuæ, & cæci veſpertiliones aufugiunt, ſubridet floſculus, & hac ſibi applaudit epigraphe; *Alij paveant: ego recreor inde.*

II.

Proſecutio Vitæ.

ANtiqua querela eſt, & acerba in mortem ſatyra mortalium. Malè actum eſt, inquiunt; factum peſſimè. Nunquam debuit oſſeus ille gigas, exſangue monſtrum, informe exuviarum ſceleton, vitæ ac viventium latro, in mundi hujus theatrum admitti. Vix non orbem in orbem vertit. Decerpit flo-

flores in flore; ſtellas in ortu è firmamento dejicit; flammas prima in luce opprimit. Quod terra tulit, latro hic ſuſtulit. Eundem in tumulum, ſine reſpectu, ſine ſenſu, conjicit triplicem Romani Pontificis tiaram, Purpuratorum galeros, Epiſcoporum infulas, Sacerdotum ſtolas, Imperatorum ſceptra, Regum purpuram, Doctorum epomides, Magiſtratuum faſces, Militum baltea, Gynecæi cymelia, Opificum malleos, Ruſticorum ligones, & centones Mendicabulorum. Clauſo olim tumulo reſurgere voluit Chriſtus, ne urnam frangeret, quam morti carcerem deſtinâſſet; quin ubi illam ſepultam reliquerat, etiam Angelos poſuit cuſtodes. Sperari dein poterat, quòd fœcunditas feritatem cicurârit. Filios enim habere cœpit, cùm mortuorum Primogenitus natus eſt. Saltem illo tempore in lætitiæ ſignum carceres laxavit, ut, apertis monumentis, exire captivi, & Principem Filium ſtipare poſſent. Hodie ad ferocem naturam redijt, & inveteratâ audaciâ pauperum tabernas, regúmque turres æquo pede

pul-

pulſat. Ita declamare ſolent, qui vitam, velut ſolem orientem, adorant; & morti, ut occidenti, terga obvertunt. At ubi flere alij, Stanislaus noſter ridere, incipit: *Alij paveant, ego pecreor inde.* Commodùm Romæ appulit Petrus Caniſius, ut rationes ſublevandæ Germaniæ cum Pio IV. conferret. Invitatus, ut ad tyrones Sancti Andreæ verba faceret, pro concione expoſuit, illum demum menſem feliciſſimum fore, quem quiſque ultimum ſibi putaverit; & eum in modum vixerit, quemadmodum velit paratus in ipſo vitæ exitu deprehendi. Subſecutum eſt Divi Menſtrui Sortilegium; & Stanislao inclytus Martyr S. Laurentius obvênit: adjunctum apophtegma virtutem patientiæ pro morientibus commendabat. Ut audiit, & legit hæc Tyro noſter, ùt animo ſubſilire, & vultu cœpit igneſcere. Cauſam inſoliti gaudij rogatus, blandè reſpondit, id ſibi maximo eſſe ſolatio, quòd hoc adhuc menſe è vivis excederet. Scilicet nemo mori timet, niſi qui nondum vidit DEUM. Tenuit hunc brachijs Stanislaus; & poſtquam fluento ſalutis innatavit, mirum non eſt, quòd Oloris inſtar ſibi inferias præcinuerit.

III. De-

III.

Doctrina Moralis.

A*Lij paveant: ego recreor inde*: reſponſum erat Magiſtri tui, Timothee. Inter alia, quæ lætum mortis nuncium fecêre, Divi Menſtrui cultus fuit. Sancti quidem bonorum noſtrorum non egent. Nihil illis devotione noſtrâ præſtatur. Planè, quòd eorum memoriam veneramur, noſtri intereſt. Sunt ſidera propitia, quæ in homines, benignos influxus præſtant: Sunt feraces oleæ, ùt vitæ præſentis amarorem nobis mitigent. Sunt candelabra lucentia, ut nobis viam ad ſupernam patriam commonſtrent. In terris viſi ſunt, ùt eſſent exemplo; in cœlos levati ſunt, ut ſint patrocinio. Quare quem per intervalla ſortitò accepit, exquiſitis obſequijs demereri ſibi ſtuduit Stanislaus. Non dubitabat, quin magno delectu habito ſibi à DEO porrigeretur, velut clypeus contra incurſus dæmonum, velut calcar ad virtutis ſtudium, velut compendium ad metam ſalutis. Virgines innocenti puritate, Martyres ſingulari patientiâ, Confeſſores exemplari vitâ devinciebat. Contentus non erat ſolo oſculo, aut perfunctoriâ lectione;

mi-

minùs multò inter quiſquilias rejiciebat, nimis indecorum ratus, ſi magnum principem domum ſuam reciperet, & continuò quaſi faſtiditum inurbanâ digreſſione ſolum relinqueret. Æmulabatur chariſmata meliora; Theſauri inſtar aſſervabat ſolicitè. Quas ex eorum nominibus Litanias concinnaverat, in mortis confinio ſibi prælegi, & non niſi cum his ſchedulis, è collo pendulis, animam agere voluit. Quàm ſecurè migrabit igitur, qui tot taléſque Duces ſibi adjunxit! Quàm nihil metuet dæmonum aſſultus, cui tot Cuſtodes ſcutum prætendunt! Quàm non expaveſcet Judicis ſententiam, pro quo tam eloquentes perorant Advocati! Paulùm erit, & momento unico in æternitatem attonitus rapieris, Timothee. O æternitas! Quàm te nemo capit, niſi qui à te captus eſt! O æternitas! Quàm tibi vox brevis, & quàm longus eſt ſenſus! O æternitas! Æternitas vitæ aut mortis!

Horribilis ſine menſtruis Advocatis!

Beata cum his Patronis!

I.

Explicatio Symboli.

SCribit Maffeus noſter, Cambaiæ in ampliſſima civitate, noſocomium avium magnificè exſtructum, & annuis vectigalibus lautè dotatum; in quo Picæ, Monedulæ, Phaſiani, Pavones, Pſittaci, morbidi, ac ſaucii, magnâ curâ, ſtudióque fovebantur. Verùm licèt & medicus, & medicina ægrotis pretioſâ charitate adhiberetur, ſemper inquietas tamen aviculas vidiſſes. Quid ita? Animal eſt libertatis amans. Captivitatis impatiens, etiam aurea vincula dedignatur. Philomelam dapſili, & regio pabulo domi tuæ nutri; perniciter avolabit, ſi vel rima pateat; ac libertatem eliget, quantumvis frugi victitando. Maximæ aliàs admirationi eſt, quòd in tam exili corpore vox tam ſuavis hoſpitetur; quòd verno tempore, cùm arbores frondent, ac herbæ pubeſcunt, quindecim diebus perdiu ac pernox liquidiſſimos cantus tenui gutture funditet. Unde enim in avicula tam pertinax ſpiritus? Unde tam perfecta muſices

ſcientia ? Tam ingenioſa modulatio ? Tam dulcis ſonus ? Qui modò trahitur in longum ſpiritu continuo ; nunc variatur inflexo ; nunc diſtinguitur inciſo , copulatur intorto,promittitur revocato? Quid, cùm modulos præter opinionem commutat ? Quid , quòd jam plenam , gravem , acutam , crebram , contractam , diffuſam ; jam attenuatam , inflatam , ſummam , mediam , imam cantionem exprimat? Adde, quòd plures ſingulis luſcinijs cantus ſint; nec ijdem omnibus,ſed ſui cuique. Certant inter ſe , palámque animata contentio eſt. Victa ſæpe vitam morte finit , & priùs ſpiritus deficit , quàm vita. At enim omnia hæc miracula carcer intercipit. Nihil canit captiva ; id unum per intervalla gemit : *Cupio diſſolvi.*

II.

Proſecutio Vitæ.

QUòd DEO deficiente mundus omninò non ruerit , cauſa fuit , quia ſtabat adhuc MARIA. Potuit toti mundo baſis iſta ſufficere. Ut tamen majorem

hominibus venerationem MARIÆ imprimeret, ſuprema Chriſti vox ad homines fuit commendatio MARIÆ. Rebatur nempe, hærere firmiùs, quæ poſtrema ſunt, monita. Teſtari prodigus, ita hæreditatem partitus eſt, ut reverentiam, quam habebat erga Matrem, filijs crederet; & providentiam, quam habebat erga filios, Matri. Præ cæteris commendavit Joannem; quòd ſciret, nullius adoleſcentiam ſecuram unquam futuram, niſi ſub tutela MARIÆ. Demum ubi in crucem actus, animam Patri commendavit, ultimos ad Matrem halitus direxit, & in illam effudit ſpiritum; ut totus mundus agnoſceret, mortem ſanctam ſpirari non poſſe ſine MARIA. Audijt divinum Præceptorem Stanislaus; &, ut ſub MARIÆ tutela ſanctè moreretur, ſupplices ad Matrem ſuam litteras ipſo divi Laurentij feſto exaravit. Summa voti, & poſtulati hæc erat. O MARIA! Mea tot titulis, quot ego tibi obligor beneficijs. Mater mea es, non conditione naturæ, ſed jure gratiæ, ſub cruce conſtituta. Ibi me genuiſti, non ex utero naturalem, ſed ex corde Filium ſpiritua-

lem ; Non quidem doloribus parturientis, certè tamen doloribus morientis ; Ecce ! Venit ad te filius tuus, Primogenito tuo longè diſſimilis, & inter adoptivos infimus. Filius tamen eſt tuus, & venit ad Matrem ſuam. Supplicat pro ſalute ſua ; ſanguine Filij tui partâ, lacrymis tuis impetratâ, patrocinio tuo obtinendâ. Monſtra ergo te Matrem, & reſpice me filium. Nomine filij ſi ego indignus ſim ; tu nomine Matris digniſſima. Reſpice, nec me deſpiciet DEUS. Subditus olim tibi DEUS nunc etiam paret, ſi præcipis. Quanquam imperiô tuô non opus eſt erga volentem. Nam id quoque DEUS Matri ſubdidit, ne à Matre aliud velit. O! Qualis ille currus, cujus aurigæ ſunt immortales ſpiritus? Qualis illa, quæ aſcendit, & cui DEUS ſit obvius ? Nempe tu es, ò Mater mea, Regina naturæ, & penè gratiæ. Tali pompâ excipienda eras, quæ DEUM exceperas. Sedes jam proxima DEO, Mater DEI. *Cupio Diſſolvi.* Utinam! Emori liceat eâ luce, qua in cœlos aſſumpta es, ut poſſim cum Thronis Angelicis throno tuo ſupplex advolvi. Nam

Ma-

Mariâ inferius eſt, quidquid non eſt DEUS. Si quid in me offendis, unde diſpliceam; in te reperis, unde placeam. Recipe me, obſecro; per illud tibi chariſſimum, mihíque dulciſſimum nomen *Matris* ſupplico.

III.

Doctrina Moralis.

UT Patre contentiſſimus fuit æternus Filius, ita ab æterno avidiſſimus erat Matris. Quam naſcendo non potuit, renaſcendo quæſivit. Quanta potentia fœminæ, quæ mundum eâ ipsâ voce refecit, qua olim eſt factus? Ubi primùm reſpondit Puriſſima Virgo: *Fiat*: eô momentô facta eſt orbi ſalus. Nunquam tamen potentior fuit MARIA, quàm ex quo tempore in cælis moratur; niſi velis, potentiorem eſſe reginam in exilio, quàm in regia: magìs efficacem eſſe ſponſam, cùm ſponſa eſt, quàm in ipſo Hymenæo: magìs gratam eſſe matrem abſentem, quàm filio præſentem. Calidior eſt ſol æſtatis tempore, quan-

do apogæus eſt, & remotiùs à terra aſcendit ſurſum. Nunquid autem Maria electa, ùt Sol? Non potentior eſt luna, quando terræ eſt proprior, & dychotoma; ſed quando plena; utut ſæpe à terris remotiſſima. Nunquid autem MARIA, pulchra, ùt Luna? Stella matutina non in ortu ſuo, ſed in altiſſimo ad meridianum circulum aſcenſu ſplendidiùs illuceſcit. Nunquid autem MARIA eſt ſtella matutina? Elevata eſt, non ut miſeros deſpiceret ex alto, ſed ut miſerandos reſpiceret in profundo. Non evolavit in cœlum, ut celaretur; ſed ut ſalutem ſervorum ſuorum ardentiùs zelaret. Per nubes aſcendit, non ut fulmina & grandines cuderet; ſed ut copioſiores gratiarum imbres deplueret. Aſſumpta eſt, non abſumpta: erecta, non erepta eſt nobis: ceſſit, non exceſſit. Salva res, ſi hanc tibi Patronam demereare. Addit animos metuenti animæ; libram ſeveri judicis exonerat mole peccatorum; & ſua ſupponit merita. Hac ſupplice vincitur DEUS, & immutabilis mutat decreta.

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

INter meteora pulcherrimum, Iris. Platoni mater admirationis, & ornamentum erat cœli. Veteres communi nomine Thavmantidem appellàrunt; quod non aliud Phœnomenon tantæ venuſtatis ſit, qua perinde, ac Iris, hominum oculos animóſque delectet. Forma Iridis venuſtiſſima, coloribus, ac figurâ abſolvitur. Figura arcuata eſt; nonnunquam ſemicirculum explet; rariſſimè ſuperat; ſæpius non adæquat. Colores ut plurimùm terni comparent: puniceus, ſeu rutilus, ac luc idiſſimus, qui ſupremus eſt; viridis, qui medius; & ruber, qui infimus. Materies Iridis nubes rorida eſt, quæ in exiguas guttulas colliqueſcit, & ſolares radios per illas transmittit; quos dum inæqualitate partium inæqualiter refringit, & varia lucis ac umbræ commixtione jam magìs, jam minùs opacat; eam, quam in Iride miramur, amœnam colorum varietatem concipit; cujus id argumento eſt, quòd

non, niſi dum aut delapſis jam pluvijs, aut ingruentibus eliquatæ nubes rorant, Iridem conſpicere ſit datum. Ceterùm pulcherrimus hic lætorum novorum nuncius, quod olim finito diluvio munus ſuſcepit, hodiéque proſequitur; & orbem univerſum exhilarare pergit. Nam dum poſt imbrium & procellarum bella pacem nuntiat, *Quanta hæc tunc gaudia portat?*

II.

Proſecutio Vitæ.

SEd quantula hæc ſunt gaudia, ſi cum illo lætitiæ oceano conferantur, quem ſecum portat MARIA, quotiés ſe homini ſpectabilem præbet? Jure huic debetur titulus: *Conſolatrix Afflictorum.* Nihil lætitiæ poteſt deeſſe, ubi adeſt MARIA. Deerat vinum convivis in Cana; & ſtatim MARIA etiam à Filio ſubirato evocavit miracula, quæ evocaverat DEUM. Qui timebant, ne aquam biberent; ad imperium Mariæ bibebant miracula. Imò hæc una voluptas

ptas eſt divinæ Matris, prodeſſe omnibus; quæ, quod vult, ita poteſt, ut cum Filio, rerum omnium Domino, diviſum Imperium habere videatur. Poteſtatem porrò ſuam cum voluntate ita conjungit, ut ſupplicum deſideria occupare malit, quàm admittere; effundere potiùs Beneficia, quàm dare. Fecerat vota Stanislaus, humanâ conditione propè majora. Nihil precibus his Virgo, quanquam audacibus, penéque violentis, offenſa eſt; ſed abs mora clientulo, quod ita de ſe meritum videret, morem gerere ſtatuit. Ipſo adhuc Divi Laurentij Feſto tentari cœpit febriculâ; qua nondum ingraveſcente, aſſeveranter prædixit, à Cœli Regina impetrâſſe ſe, ut, quod unicè optâſſet, luce, illius in cæleſte regnum migrationi ſacrâ, Beatam æternitatem auſpicaretur. Hinc vitæ jam omnis fortunæq; ſatur, dum nihil mortale in hac ſibi Colonia reliquum videt, quod votis etiam mediocribus eſſet ambiendum, ad longinqua cœpit ſpes omnes curáſque convertere; & rei, jam ſemel conſpectæ, magnis aſſiduò, novisque curis æſtuare. Præoccupavit partem ſola-

tij clementiſſima Cœlitum Regina; quæ Auguſtâ ſpecie, multóque lumine circumfuſa, ſpectandum ſe illi ultro præbuit. *Quanta hæc tunc gaudia portat?* Aſpiciebat Stanislaus Virginem, Virgo qtanislaum: & quamvis tacitis utrinSue vultibus, amor tamen hinc omnem addicebat curam; illinc omne promittebat obſequium. Non opus erat verbis, ubi amor tam facundus fuit. Non poterat eſſe mutus, quia erat mutuus. Sed nec otioſus erat. Ex illis quippe oculis tela & faces vibrabat, quibus per reliquum vitæ ſaucius vixit, & arſit Stanislaus. O! Quis tunc illius ſenſus fuit, cùm vidit illos oculos in ſe conjectos, quibus DEUS ipſe adſpici gaudet? Cùm vidit illos oculos in ſe figi, quibus mortalem aſpici, eſt immortalem fieri, eſt perire non poſſe, eſt cœlo, Deóque donari? Sed enim his illum tam ſanctis deliciis immorantem, facinúſque jam, neſcio quod, exſpectatione majus molientem, fortuna in medio curſu deſtituit; atque inſperatò pulcherrima illa Virgo ex oculis receſſit. Cujus mihi tam improvi-

ſi receſsûs, ſi divinare fas eſt, cauſam videor non abſurdam odorari. Scilicet niſi fuga violenta formoſiſſimam Matrem abſtuliſſet, nunquam poterat illa ad cœlum redire.

III.

Doctrina Moralis.

HIc ego mecum ſtatuere non audeo, Timothee, majorémne credam ab aſpectu MARIÆ ſuavitatem, an ab erepta, amiſsáque dolorem in animo Stanislai ſucceſſiſſe. Profectò moderatiùs ille potuit dolere, qui ſciebat, ſe propediem inſequi fugientem, & aſſequi feliciter. Poſt aſpectum DEI pars aliqua gloriæ eſt aſpectus Virginis. Ut ſperare hunc poſſis, illa ipſa eſt Mater Spei. ſine MARIA nunquam eſt JESUS; ſine JESU nunquam MARIA. MARIAM inveniſti, JESUM inveniſti. Manna, cœlitus delapſum, non invenitur extra Arcam. Flores non reperiuntur extra hortum. Divina Sapientia non habitat extra ſedem, ſibi conſtructam: & JESUS non ſeparatur

tur à Maria. Felicem te, ſi ita JEſum inveneris! Qui invenit conjunctum cum Virgine, invenit Leonem cœleſtem: non ut dentibus & rugitu ſæviat, ſed benefico influxu recreet. Qui invenit DEUM in brachijs Matris, invenit Judicem faſciis ligatum. Qui invenit Deum in ſinu Virginis incarnatum, invenit Majeſtatem, aliàs inacceſſam, totam humanam. Ut autem tantum favoris tibi ab hac Matre polliceri queas, Filium te monſtres, & devotiſſimum Clientem exhibeas, oportet. Miſerrimus fores, ſi nomen Sodalis inaniter gereres. Næ tu tenebras in lumine, umbram in radijs lucis, deliquium ſine delicto videbis in luna; quia Mariam non Advocatam, ſed provocatam; non Patronam, ſed bellonam; non Imperatricem, ſed fulminatricem experiêre. Si nolis teneri Lege Matris, cùm potes in vita; non poteris teneri ope Matris, cùm voles in morte. Negligêris, ſi prior negligas; & deſerêris, quia deſertor; exſpes in morte, quia exlex in vita.

I. Expli-

I.

Explicatio Symboli.

QUod eſt ſpiritus in homine, hoc eſt nativa virtus in aromate; intus agit, foris ſentitur. Corpus ſine ſpiritu eſt cadaver; aroma ſine halitu eſt tetrimentum. In receſſu quid lateat, odor ejus & acrimonia prodit. Ex omni porrò odoramentorum genere principatum tenet ſuavitas Balſami, cujus tanta vis eſt, ut fugientem animam feratur revocare. Præterea hoc antidoto nullum habetur præſentius, nullum præſtantius; ſive virus ſit arcendum, ſive corpus ab eo præſervandum; adeò quidem, ut viperæ, teſte Pauſaniâ, ſub Balſami arbuſculis latitantes, hujus ſucci paſtu venenum amittant, & morſus figant prorſus innoxios. Regina Sabæ prima has narium delicias ex Arabia felice in Palæſtinam importavit, dignum munus, quod Regum potentiſſimo juxtà & ſapientiſſimo Salomoni offeratur. Indi genuinum opobalſami ſuccum non minore pretio, quàm gemmas, & aurum æſtimant; præſertim quòd

fra-

fragrantiâ ſuâ à putredine conſervet cadavera. Veſpaſianus ac Titus, Romani Imperatores, tanti fecêre hunc fruticem, ut, deveſtatâ Solymâ, etiam pro arbuſcula balſami, tanquam Jaſonis vellere, acerrimam dimicationem ſuſceperint; cùm Judæi, ne ſibi delicium illud eriperetur, velut pro aris & focis, pugnarent. Tanti ſtetit, odoram frondem balſami occupâſſe, quam Moſcho, Nardo, Amomo, aliisque odoramentis commiſtam, ac ſubjecto igne deliciosè fumantem, reportatæ victoriæ manubium ac trophæum voluêre, adjecto lemmate: *Suaviter exſpirat.*

II.

Proſecutio Vitæ.

PRæſtantiſſimum balſamum eſt virtus. Pro hoc balſamo magna Cælites inter, hominésque contentio. Imò maxima æternitatis invidia eſt virtus perfecta; & quidquid venit ad ſummum, feſtinat ad exitum. Verùm non tam avidum erat Stanislai cœlum, quàm avi-

avidus cœli Stanislaus. DEUM totus anhelat. Ad hunc porrò ut rectà tenderet, æmulus eſſe voluit morientis Chriſti. Elegit hic humiles fabri natales; nec erat alienum à Chriſti Patre miniſterium. Quid enim DEUS, niſi faber? Tornare orbem, inſpicare montes, dolare campos, excidere homines, fabrilia ſunt. Reſpondebant hi natales morienti Salvatori. Nam ut eâdem humilitate viveret, & occumberet, malleus, forfex, terebræ, clavi, ligna, vitæ miniſteria, mortis inſtrumenta fuêre. Sic eâdem arte domeſticâ dolabantur cunæ, & cruces. Placuêre ligna, & aſſeres etiam morienti Stanislao. Sæpius repulſam paſſus, ultimi favoris locô à Præpoſitis tandem obtinuit, ut humi depoſito emori liceret. Ad novum hoc ſpectaculum in terris Angelici chori ſe cœlo effundunt, & vix credunt, quod vident. Jacet invictus Pugil, nec ſuccumbere didicit, licèt graviter decumbat. Ita adverſa adverſis adverſa non ſunt, ſed averſis; & ubique ſanctitati patet occaſio, modò voluntas occaſioni non deſit. Ubi primùm ſacroſanctum

Chri-

Chriſti corpus cubiculo illatum eſt, geſtiît ad Dilecti conſpectum Virgo, & mirabili modeſtiâ ſponſum ſuum veneratur: viciſſim oſculum pacis, ac dotem æternitatis accipit. Subinde oſcula & animam inter ſocios dividens, rerum omnium oblitus eſt, præter nomen MARIÆ. Scivit illud, antequam aliquid diſceret: ſcivit illud, poſtquam omnia dedidicit. Prima hæc vox erupit infanti, & ultima morienti. Tandem *ſuaviter exſpirat* Angelo ſimilis, & penè verſus in ſpiritum, eò ivit, ubi ſpiritus immortales habitant. Exceſſus amoris fuit, non febris; nec mori niſi amore debuit, qui amore vivebat. Improbe Amor, quid petis ampliùs? Olim occidiſti Primogenitum MARIÆ: paulò poſt & Matrem ſuſtuliſti: hodie etiam ſecundò Genito non parcis.

III.

Doctrina Moralis.

MOrtuus es, niſi ſeriò ad mortem te pares, Timothee. Non addiſcitur

tur unó momentô, quod nunquam antea fuit in uſu. Non dediſcitur unô momentô, quod ſemper antea fuit in uſu. Momentum eſt, quo experienda hæc ſcientia eſt. Nôſſe mori tam arduum eſt, ut, cùm illud totâ vitâ didiceris, momentô unicô experiaris. Ad momentum ergo iſtud per totam vitam te exerce. Parva cura impendenda eſt parvis negotijs; maxima cura rebus maximis. Sapiens nihil magni momenti aggreditur, quod non ſeriò priùs expenderit. Omnes homines diſcunt artem, quam tractare volunt. Plerumque non bene agitur, quod non niſi ſemel agitur. Semel tantùm moriendum eſt. Error, qui in morte committitur, irreparabilis error eſt. Actor in theatro malè agit perſonam ſuam, ſi non frequentiùs ſe antè exercuit. Advocatus malè agit cauſam, cui evincendæ ſe non priùs paravit. Heu! Quàm periculoſum eſt errare, quando error eſt ſine remedio; & pœna ſubſequens ſine fine. Ut diſcas bene mori, exemplo Stanislai diſce mori à morte. Mors ſeparat animam à corpore: Separabat & Stanislaus, qui corpori, cui neceſſario

naturæ nexu conjunctus fuit, nullo vitioſo adhærebat affectu. Hinc mortuus eſt ſine triſtitia, quia vixit ſine adhæſione ad creaturas. Mortuus eſt ſine delectatione. Mortuus eſt ſine timore, quia vixit ſine peccato. Jucundum eſt mori illis, quos vivere non delectat. Anima ſine dolore migrat è domicilio, quod nunquam libenter incoluit. Acceptabile eſt divortium illis, qui ſe mutuò non diligunt. Mors adimit omnia fortunæ bona. Id ne ſine quæſtu accideret, mortem tempore præoccupabat Stanislaus: dividebat cum indigentibus, & theſauros præmittebat in cœlum, ubi perpetuâ eorum uſurâ erat fruiturus. Mors vitæ & gratiæ tempus claudit. Certabat cum velociſſimo Stanislaus; quod ſiſtere non poterat, in curſu intercipiebat tempus. Uſurpabat de illo, quidquid conceſſum erat: tranſigebat diem omnem, ùt ultimam; horam omnem, ùt ſupremam. Sic diſce mori. Negotium iſtud negotiorum ſummum. Lucra in eo, damnáque vertuntur æterna.

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

CRederem, fabulatum eſſe Platonem, niſi fabulam affingeret Socrati, quem refert, montes in Cœlo gemmeos aſſeruiſſe, quibus gemmæ, quas in terris videmus, tanquam decidua fragmenta, originem deberent. Negabit tantos unioni honores Alexander Lithuaniæ Dux, ratus, è cœlo mortem non oriri. Hic dum pretioſum unionem ſæpius immittit, & eximit auriculâ, tandem altiùs inſertum extrahere non valet. Luditur itaque, qui ludit, & exorto ulcere vitam amittit. Sic unio perdidit unionem. Verùm hæc ita habeant; ſuum tamen pretioſis cimelijs manet pretium. Purpuratus ille Galliarum Antiſtes miro unius gemmæ ſplendore mirificè captus, (propè dixiſſem) excæcatus, rem tantillam centum millibus aureorum æſtimabat. Nulli hanc arcæ credidit; ſoli famulorum fidiſſimo fidem habuit, juſsítque, ut cordis, ac vitæ inſtar diu noctúque ſub axilla cuſtodiret. Quid, quòd Joſephus, Venetorum

legatus ad Uſuncaſſanum Perſiæ regem miſſus, inter alia monilia tantæ pulchritudinis carbunculum viderit, quem regno integro venire jactitabant. Et certè ingens Theſaurus unio ſit, oportet, quem in ſinu ſuo natum conchylia tam ſolicitè cuſtodiunt, ut, niſi piſcator in eo tollendo cautiſſimum ſe præbeat, furaces digitos non ſolùm arctiſſimè ſtringant; ſed etiam amputent. Probatur hæc cura mortalibus; rependunt cuſtodiam, dum exempto unione cuſtodiunt conchylium, & Poëtæ concinunt: *Exuvijs debetur honos.*

II.

Proſecutio Vitæ.

RAriſſimus unio fuit Stanislaus, etiam uni DEO pretioſiſſimus. Patuit ſummi Numinis æſtimatio, quòd exuvijs Stanislai ſummos ipſe honores exhibuerit, & ab alijs voluerit haberi. Summos ipſe exhibuit, quia virtutem prodigioſam his exuvijs contulit. Summos ab alijs haberi voluit, quia ipſo inſpirante omnis ſexus, hominúmque conditio ad ſpectandas

das & honorandas Juvenis hujus exuvias concurrit. Veriſſimè negavit Seneca, vitam humanam brevem eſſe, ſed fieri. Non, inquit, exiguum tempus habemus; ſed multum perdimus. Impendimus bonam partem ſomno, magnam otio, aliquam ludo. Cur ludimus eam vitam, quam brevem querimur? Cur impellimus tempus, quod ire velociùs dicimus? Sic eſt. Non accipimus brevem vitam, ſed facimus. Non inopes temporis, ſed prodigi ſumus. Nihil vivunt, qui malè vivunt; nec annos impij uſurpant, ſed perdunt. Ampla ætas virtuti patet, ſi bona diſponatur. Certè modico tempore longam ætatem decurrit Stanislaus, quia annos auxit virtutibus; & ut mortem falleret, jam cœpit immortalis eſſe, cùm viveret. Suſpexit in juvene ſenem antiqua Roma; & difficile eſt credere, quantùm divulgatus illius obitus omnium animos affecerit. Etiam ſexagenarij adrepebant, ut à juvene ſedecim annorum diſcerent vitam prorogare. Plurimis ſponte fluxerunt lachrymæ; & ex repetitis ſuſpirijs facillimum fuit colligere, quo affectu Stanislaum proſequerentur. Funus in Tyronum ſolatium ad

templum Divi Andreæ longâ ſerie deductum eſt. Jacere alibi Magiſter virtutum non debuit.

III.

Doctrina Moralis.

EXuvijs debetur honos, Timothee, quia rariſſimam clausêre gemmam. Si admirabilem omnium virtutum varietatem ſpectes, Sapphirus: Si ardentem, tam in DEUM, quàm homines, amorem, Chryſolithus: Si ad Chriſti legem alios trahendi deſiderium, Magnes, ac planè Siderites: Si omnium oculis gratam innocentiam, Smaragdus: Si temperantiæ ſtudium, Amethyſtus: Si in bene cœptis laudabilem conſtantiam, Adamas: Si rari denique exempli optimam indolem, Beryllus fuit, aliàs in ſola, ut ſcribunt, India reperiendus. Hinc nemo à funere domum redit, quin non illud ſecum tacitus repetat: Utinam moriatur anima mea morte ſanctorum! Nec miror; quia nemo ita vivit ſceleratè, quin optet mori bene. Deſperatiſſimæ vitæ eſt, qui bo-

nam mortem non optat. Roga, quàm voles, improbum, neminem offendes, qui talis mori velit, qualis vivere audet: niſi quis aut DEUM neget; aut inferos neſciat; aut rideat æternitatem. Verùm quàm lepidè iſta! Bene mori omnes cupimus; vivere omnes, ſed bene, non laboramus. Ita multis vivitur, ut ſperari, niſi miraculô, mors bona non poſſit. Votum illud ne eludat fatum; hoc deſiderium ne evadat in delirium, ſpem mortis bonæ non à morte, ſed à vita ſumamus. Ut Echo voci, ita mors vitæ reſpondet. Si blandè vox inſonuit, & ipſa blandè reſonabit Echo. Si autem abſona, inſulſa, aſpera, hiulca, horrida vox intonuit; & ipſa abſonum quidpiam, inſulſum, aſperum, horridum, & triſte reddet Echo. Qui vivit vitâ peccatorum, morietur morte peccatorum. Quomodo enim parebit coram Deo, quem irritavit? Coram Patre, quem injurijs affecit? Coram Rege, quem deſpectui habuit? Coram Amico, quem perfidè prodidit? Coram Belli Duce, quem turpiter deſeruit? Coram Sponſo, cui fidem fregit? Coram Judice, quem protervè deſpexit? Coram

Redemptore, quem ſceleribus ſuis iterum in crucem egit? Quomodo evadet Immenſum? Quomodo reſiſtet Omnipotenti? Quomodo fallet Sapientiſſimum? Enim verò videbit tunc, quod nunquam fuerat ſpectatum. Comprehendet, quod nunquam fuerat cogitatum. Experietur, quod nunquam fuerat apprehenſum. Igitur methodus bonæ mortis eſt methodus bonæ vitæ. Ne fallat deſiderium, præveniat ſtudium. Præcipitant tempora; evaneſcunt horæ; occidunt ſoles; tranſeunt dies; effluunt menſes; dilabuntur anni; avolant luſtra; volvitur vita. Poſt primum momentum, quo egreditur, & Domum Æternitatis ingreditur anima, mox audies: *Tempus non erit ampliùs.* Decurſum eſt ſtadium: ergo nulla ſpes ampliùs obtinendi bravij. Confectum eſt bellum: ergo nulla ſpes ampliùs referendæ coronæ. Finitæ ſunt nundinæ: Ergo nulla ſpes ampliùs comparandæ mercis. Clauſa eſt janua: ergo nulla ſpes ampliùs intrandi Cœlum. *Tempus non erit ampliùs.*

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

PHœnicem dixit Claudianus ſolis avem, ad cujus immortalem interitum ceterarum volucrum turbæ convolant, & ſpectant admirabundæ. Avis eſt rariſſima, & mundi unica; hæres, proléſque ſui. Gignitur absque conjuge; renaſcitur abſque pudoris calamitate. Poſtquam quingenta vixit ſæcula præſaga natura de morte admonet. Igitur thus, myrrham, cinnama colligit; unguibus & roſtro nidum conſtruit; tandem faces ſubdit, & hilaris rogum ingreditur. Res mira! *Etiam poſt funera vivit.* Dum æuum in odoribus finit, decedenti Phœnici ſuccedit iterum Phœnix. Ubi jam nemo, iterum ipſe: qui jam non alius, ſed idem: fallor: ipſe quidem, ſed non idem: quia & ipſe, nec ipſe eſt.

II.

Proſecutio Vitæ.

SOla virtus, ſi ſculpi velit, alicubi ſculpi debet, ubi extra mortis Jacula mortem rideat, & vivis egreſſa, mortuis ſuperſtes, ſola ſibi Phænix, juvenile ſenium trahat. Suffragatur ſacra pagina, quæ teſtatur, impios perire funditus, & nullam à morte ipſorum reſtare memoriam: Juſtorum verò memoriam in benedictione eſſe, & poſt ſua funera vitam auſpicari. Hæc ſola *etiam poſt funera vivit*. Ingenioſum extat Poëtarum commentum, Cupidinem una cum Morte iter ingreſſum, jámque longiùs progreſſos, & oppidò laſſos, ad obvium diverſorium ſe pariter recepiſſe. Ibi arcum quisque ſuum cum pharetra in menſam negle-ctim abjicit. At ut nulla, aut exigua quies Amori eſt, Cupido inſomnia paſſus, ortum ſolis prævertit; felici infortunio arcum & pharetram Mortis involat; &, quos deinceps ſuis telis ſauciat, non geſtire, non laſcivire, non ſolitis æſtuare ignibus, ſed veſtigio palleſcere, langue-

re,

re, frigere, exanimari demiratur. E-contra Mors, Amoris jaculis inſtructa, hæret attonita, quòd ſuis ſaucii jaculis, non illicò concidant; non extinguantur; non efferantur mortui; ſed toti in flammas abeant, & ex cineribus Phœnicis inſtar feliciùs renaſcantur. Hujusmodi ſpiculo ſauciatum credo Stanislaum. Certè perſtat etiamnum incorrupta caro, nec corrumpi debuit, quæ ſemper manſit integra. Non oportuit caligare oculos, qui divinum Solem irretorti aſpexerunt. Non oportuit palleſcere genas, quibus amor Virgineus oſculum libavit. Non oportuit computreſcere linguam, quæ nihil ſordidum unquam protulit. Non oportuit denigrari labra, quæ nil, niſi puriſſimum candorem amaverunt. Non oportuit frigeſcere manus, quæ ardentibus JESU, ac MARIÆ obſequijs ſemper fuerunt occupatæ. Non oportuit rigere pedes, qui parati ſtetêre etiam extra mundum pro DEI gloria currere. Quid igitur mirum ſi totus adhuc rubeat vultus Angelo ſimilis, ſi Angeli vultus haberent? Igitur non obiit, ſed amavit tantùm. Dum Amoris tela vibravit Mors,

ex-

extendit amorem, & æternum ſecit. Hinc *etiam poſt funera vivit.*

III.
Doctrina Moralis.

AD cœlum! Ad cœlum, Timothee! Capio tandem, cur ſub finem mundi ſtellas ſuas cœlum projiciat. Scilicet tot ſoles excipiet, quot corpora beatorum. Si adhuc in terris defuncti Stanislai corpus tam amœnè rubuit, tam decorè fulſit; putas, quomodo fulgebit in cœlo? Igitur ad cœlum! Ad cœlum! Quid tibi porrò eſt cum iſthac lacrymarum valle, ubi nil, niſi ſingultus & gemitus, ærumnæ & miſeriæ audiuntur? Quid amas vitam, quæ deficit? Majeſtatem, quæ cadit? Magnificentiam, quæ evaneſcit? Vix Petrus delicias in rupe Taborea deguſtare cœperat, cùm fragor importunus omnes aſportavit: adeò vel in ipſis oblectamentis, quæ à DEO ſunt, expertus eſt, evaneſcere omnia, præter Auctorem. O montes, valles, ò campi, & ſylvæ! Tædet vos diutiùs intueri. Sordet mihi terra, cùm cœlum aſpi-

aſpicio. Non jam vobis invideo veſtras opes, ò Principes! Veſtras lauros, ò Milites! Veſtram ſcientiam, ò Litterati! Veſtras voluptates, ò Amantes! Veſtros theſauros, ò Avari! Vtimini, fruimini; non invideo. Paradiſus, Paradiſus! Nulla ibi nox, aut caligo, quæ terreat; non calor, qui adurat; non gelu, quod affligat. Oculi, quidquid amœnum & elegans; aures, quidquid harmonicum & ſuave; nares, quidquid odore gratum; palatum, quidquid dulce, ac ſapidum; tactus denique percipiet, quidquid delicatum, & blandum cogitari poteſt. Corpus claritate ſolem, agilitate auram, ſubtilitate ignem, robore adamantem ſuperabit. Quidquid in ſingulis hominis ætatibus perfectionis eſt, complectar in cœlo. Candorem ſuum pueritia, vivacitatem juventa, robur ætas virilis, & majeſtatem ſenectus contribuet. Ibi nationum omnium linguis promptiſſimè loquar; omnium temporum geſta, & hiſtoriarum monumenta callebo; Gratiarum & Charitum lepore affluam; omnium vocum varietate cantabo. Ibi erit matutinum ſine veſpere, meridies ſine æſtu, dies ſine nocte, ſerenitas ſine nube, lux ſine um-

umbra, pax ſine bello, libertas ſine mancipatu, gaudium ſine dolore, felicitas ſine miſeria. Ibi erit aula ſine ambitu, thronus ſine periculo, corona ſine ſudore, purpura ſine onere, ſceptrum ſine labore, regnum ſine tumultu, dignitas ſine æmulo. Ibi erit Ver ſine pluvia, Æſtas ſine grandine, Autumnus ſine defloratione, Annus ſine hyeme, Tempus ſine fluxu, Vita ſine morte, Æternitas ſine fine. Quid amplius? Ibi etiam DEUM videbo. Superi! Quæ viſio? Videbo ſplendoris abyſſum, majeſtatis theatrum; centrum omnis gloriæ. Videbo magnum ſine quantitate; bonum ſine qualitate; infinitum ſine numero; immenſum ſine extenſione; æternum ſine duratione; pulchrum ſine figura. Videbo, qui remotiſſimè diſtat, & viciniſſimus eſt; qui nullô loco conſtringitur, & ubique præſens; qui nullam percurrit ætatem, & omnibus ſæculis convixit. Videbo, qui dat omnibus vitam, nemo ipſi; qui omnibus dat vires, ipſe nullius indigus. O me beatum millies! DEUM videbo. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc! Cœli, ò quàm belli! Obſtupeſcite! Ecce! Timotheus terram amat, cœlum deſpicit.

I. Expli-

I.

Explicatio Symboli.

CHinenſes populi gentiles, Cæleſtium inanes illos Sophos ſummis honoribus proſequuntur, qui hominis immortalitatem quàm efficaciſſimè probare, & in ſpeciem ſolidiſſimè videntur aſtruere. Hos inter repertus eſt, qui, ut regis gratiam aucuparetur, & ingens mendacij minerval referret, temerè impoſuit, indefeſſo ſe ſtudio tandem potum immortalitatis adinveniſſe. Hanc diviniſſimam potionem cùm Rex avidiſſimè expoſceret, è primis aulæ proceribus quidam involat, poculum arripit, & bonam amyſtidem è potu immortalitatis ſibi propinat. Agitur in furorem princeps; & abs mora obtruncari debuerat Aulicus, nî opportunum hoc dilemma pro clypeo objeciſſet: Fruſtra in ſe gladios intentari, ſi potio hæc immortales redderet: hac virtute ſi careat, ſibi præmium deberi, quòd ipſe præ rege decipi maluerit. Agnovit errorem Princeps

ceps, & mortalem ſe credidit, qui aliis tam facilè mortem decerneret. Et verò vanæ ſunt herbæ medicæ, vanum aurum potabile, ſi immortalitatem inde ſperes. Eâ lege quisque naſcitur, ut denaſcatur. Quòd ſi tamen in taberna pharmaceutica frequens mercium inſtituatur luſtratio; abjiciantur fatua aromata, & nova herba in ſuccos medicos, trituras, pulveres, paſtillos, trochiſcos, varia unguenta, & Balſama ſcitè præparentur; non abnuo, ad plures annos etiam debili vitam prorogari poſſe. Quin ipſe trabalibus litteris encomij loco gratus huic Pharmacopolio inſcribam: *Morbos ac vulnera ſanat.*

II.

Proſecutio Vitæ.

PRincipium vitæ, initium dolorum. Neſcias, an in vitam mortalem veneris, an in mortem vitalem. Nuntiatâ Lazari morte gaudere ſe dixit Chriſtus. Ubi eum miſeræ vitæ redditurus erat, plorare cœpit, & totâ viſcerum com-

commotione turbari. Medicorum Princeps Galenus trecentas, & ultra numerat, principes ſolùm, & quaſi matrices miſerias; quarum vel infantes quodammodo prophetæ ſunt, cùm non à riſu, ſed fletu hanc lucem ordiantur. Veritatis hujus teſtes habes, quos ad aram Divi Stanislai ſupplices vides. Oratio diſertus eſt deſerti fletus, & magna largiuntur cœlites, cùm flectuntur. Hic unus miſeris jam dolor relinquitur, quòd medicorum indigi, Eum poſtremùm adjiſſent, quem primum debuerant. Miraculo opus eſſet, ut numerari poſſent miracula Thaumaturgi Juvenis: *morbos ac vulnera ſanat.* Dum loquitur, aures ſurdis; dum aſpicit, oculos cœcis; dum tangit, pedes claudis reſtituit. Paralyſis, hydrops, lepra, morbi ſunt, quamdiu permittit; ſanitas, cùm jubet. Mors ipſa reveretur mortuum, quem timuerat vivum; & miratur, ſibi vitam vel invitæ reddi. In ijs, qui ſanitatem à Divo referunt, ſtat pro luculenta gratiarum actione ipſàmet muta, & mutua admiratio beneficij. Levia loquuntur gaudia; ingentia ſtupent.

III.

Doctrina Moralis.

HOc eſt Sapientem eſſe, Timothee, bene omnibus facere. Habe tibi ferias tuas, perfida Judæorum natio, quæ hominibus ſeveriores ſint, quàm aſellis. Aſinum licet Sabbatho attollere, ſi in puteum decidit; &Chriſtus vobis violator Sabbathi eſt, quòd die quietis ſuæ homini, malè affecto, publicam ſervitutem impendat. Tacete poſthac; fruſtra eſtis. DEO, & ſapientibus, qua die non licet bene facere, nec licet vivere. Illos peculiariùs diligunt, quos ab alijs derelictos inveniunt. Non habuiſſe hominem, ſtatim DEO neceſſitas fuit ad piſcinam Probaticam accurrendi, ut Paralyticum ſanaret. Similiter Stanislaus pene ſe miſerum putat, dum miſeros videt. Exonerat morbo, onerat beneficio: imò beneficium ſuum reputat, quod alijs dederit. Ut ſapiens ſis, beneficentiam hanc æmulare, Timothee. Fac etiam, de te dici poſſit: *Morbos ac vulnera ſanat.* Ante omnia te invito ad piſcinam Pro-

Probaticam ; ubi miſelli non triginta duntaxat & octo annorum ſpatio, ſed hic centum, ducentis ille, mille alius annis inter ſummos cruciatus, inexplicabiles gemitus morantur. Animas, in igne luſtrico detentas, intelligo. Heu! Quis locus? Abyſſus eſt tenebrarum, mare flammarum, officina dolorum. Heu! Quis locus? Locus eſt, in quo bullit ſulphur & concamerantur tenebræ & fumus, congraſſantur glacies, & ignis. Heu! Quis locus? Locus eſt, cujus pœnæ, ſi æternitatem & deſperationem excipias, inferorum pœnas æquant; cujus dolores etiam atrociſſimos Martyrum cruciatus ſuperant. Heu! Quis locus? Imaginare noctem cimmeriam, denſiſſima caligine mixtam, incumbere; aërem intermicantibus fulgetris ſcintillare; terram horrendis motibus concuti; antra gemitibus perſonare; monſtra vipereis ſibilis ſtridere; & non niſi umbram flammæ purgantis concepiſti. Pone, quidquid barbari humana mens excogitavit: certatim ſe immittent in tauros famoſi Phalaridis; in gratiæ loco numerabunt, à Mezentio ad cadavera, vermibus ſcatentia, alligari; ultrò conſcen-

dent fatales Diocletiani rotas; velut apiculæ ad fragrantiſſimos flores, convolabunt ad ulcera Jobi, & mellis inſtar avidè ſugent Verbo: erunt amantium vota, quæ nobis ſunt reorum ſupplicia. Ex miſerrimo hoc ergaſtulo miſellæ animæ tibi acclamant: *hominem non habeo*. Barbarum te! Niſi coronam, quam vocant, Virginis lapſis porrigas, ut ad coronam gloriæ eleves. Crudelem te! Niſi ſextâ quavis feriâ, ferias à ſecunda comeſtione tibi indicas, ut famelicas recrees. Immitem te! Niſi ferreô lumbos tuos cingulô quàm arctiſſimè adſtringas, ut ignium vincula captivis ſolvas. Inclementem te! Niſi primâ menſis cujusque dominicâ immaculatum Chriſti ſanguinem effundas in maculatas, ut maculas eluas. Væ! Si lapides, qui lacrymantibus collacrymantur, duritie ſuperes. Cor durum malè habebit in noviſſimo.

I. Ex-

I.

Explicatio Symboli.

DEbetur ea laus bombyci, quòd vix aliud animal divinam modeſtiam propiùs æmuletur. Nunquam DEUS ceſſat agere; & nunquam videtur: etiam bombyx,cùm maximè operatur, operitur Parva ovula vermiculi hujus incunabula ſunt. Ubi in lucem prodijt, ter in dies comedit, ter dormit, donec penitus adoleſcat. Adultus cibum omittit, & ad opùs ſe accingit, ut pretium hoſpiti ſolvat. Igitur collum extollere, & ſibi ramum ſeligere, quo ſua utrinque fila annectat. Subinde in medio ſuam domum ordiri, fila modò huc, modò illuc, modò ſurſum ducere, & parietes ita duros efficere, ut ex membrana conſtructos diceres. Neque ſibi laborat induſtrium animal, ſed DEO, ſed homini. Laborat DEO; quia templis & aris de ſerico ornatu providet. Laborat homini; quia holoſericum villo,

ſum, & veſtes undulatas ſuppeditat, quæ viros Principes à plebe ſecernunt. Opere confecto ſuis ſibi oſcillis aditum patefacit: *Triſti de carcere ſurſum* eluctatur, & album mutatus in alitem, ampliſſimo cœlo anguſtiſſimum commutat ergaſtulum.

II.

Proſecutio Vitæ.

TRiſtiſſimus Carcer eſt mundus. Hîc tenebræ errorum; hîc ſquallor vitiorum; hîc penuria rerum cæleſtium! hîc timor mortis æternæ & infernalium ſuppliciorum. Quisquis *triſti de carcere ſurſum* eluctari deſideras, Stanislaum invoca. Sed cùm nemo coronari ſoleat, qui legitimè non certaverit, neceſſe eſt, varijs te prius miſerijs in carcere exerceri. Noli mirari, quòd cùm DEUS infinitè bonus ſit, bonis poſſit eſſe malè, & malis bene. DEUS paternum animum gerit adverſus bonos; quos fortiter non amaret, niſi haberet ſeverè. Conſulit probis Chriſtianis, dum illos præparat virtuti, & ſibi: malè autem de illis judicat, quos indignos putat rebus adverſis. Nunquam, cre-

credo, gratius ſpectaculum habuit, quàm cùm gemini illi Athletæ congreſſi ſunt, Orientis alter, alter Occidentis ſolis imperator, Job & Dæmon. Simplex ille cum hoſte pugnat multiplici. Hic enim forma carens, formas alternat. Nunc Jobo prædatur boves; nunc paſcentes oviculas igni depaſcitur; nunc camelos cum rectoribus corripit; nunc in ventum vertitur, & regiam evertit; nunc purpuratum efficit ulceroſum. Sed prodeſt Jobo Adverſarij varietas; quia in uno triumphat multos. Æquè beneficum vocat Numen, ſive afferat, ſive auferat opes. Nunquam magis laudavit DEUM, & illuſit fortunæ, quàm dum oſtendit, hanc rideri, non illum poſſe deſeri. Hodie aliud ſpectaculum, iterum DEO dignum, exhibetur, ſcilicet adoleſcens Chriſtianus, cum adverſa fortuna compoſitus; quia graviſſimis morbi doloribus conflictatur. Ridet hic tamen, & nihil amaturus præter DEUM, etiam mortem odit, ratus, majus patientiæ exercitium eſſe, ſi quis poſtremis in malis potiùs arceat, quàm accerſat mortem. Porrò ut ſanctiùs viveret, & perfectiùs pateretur, Pa-

tronum & Magiſtrum ſibi delegit Divum Stanislaum; qui tam fortem pugilem admiratus, ipſe advolat, & ad cœleſtem coronam amicè invitat. Acceptat ſponſionem. Cliens, & ducem ſuum *triſti de carcere ſurſum* lætus ſequitur.

III.

Doctrina Moralis.

An ſequi deſideras Timothee? Forti animo adverſa patere, & in momenta mortem operire. Non legiſti, quòd flenti Ezechiæ anni quindecim ad vitæ ſtamen aſſuti fuerint, illuſtri teſte ſole, qui ſupra lineas decem retroactâ ſtyli umbrâ, viam & vitam redorditur? Hem, quid ſolidum in humanis, ſi ætas horarium eſt, annus linea, umbra vita! Lethalis umbra, quæ lineas enecat, quotquot attingit; pariterque dum proficit deficit. Lethalis umbra, quæ eadem celeritate & æliquatate, horarium mundi planum in terra pervolat, qua igneus ille curſor! Delige jam horam, quæ placet; vel primam infantiæ, vel mediam juventutis, vel ultimam ſenij; nullam invenies, qua vitæ clepſydra vel non effluat, vel ſegniùs e-

laba-

labatur. Imò media juventutis hora omnium maximè periculoſa. Primus flagitiorum inſtitor Cain, Mortem invenit, & invexit. Horruit mors, expiandis ſceleribus nata, primos ſibi aditus per innocentis Adoleſcentis jugulum pandi. Quæris, quo telo petiverit? Ligneo: nam tali ex materia nata Mors. Quæris, quid primum ferierit? Guttur: ut in Abele parentem multaret, quòd pomum momorderit. Ab eo tempore, quia dulci delinita Sanguine, juvenes avidiùs petit. Fuêre complures, ſtellæ in ortu ſimul & occaſu, quibus idem oculorum ictus, & aperuit, & clauſit lumina; eadem ligna cunas dedêre, & tumbam; qui eodem momento ſpirârunt primò, & exſpirârunt. Fuêre alij, ſtellæ aſcendentes ſimul & deſcendentes, flammæ & funus, læti & lethum, flores & fœtores, papavera & cadavera. Et quæ ſecuritas ſit juventuti. Ventus eſt; quid velociùs avolat? Ventus; quid faciliùs exſpirat? Ventus; quid faciliùs in ventum abit? Dicam ampliùs. Vitrum eſt juventus; quid fragilius? Bulla; quid ſubtiliùs? Cera, quid fluidi-

us? Flamma, quid tenerius? Umbra, quid fugacius? Flos; quid flaccidius? O delicate floſcule, ſuperbe troſſule! Illa tua caro, quæ in capite flavis criſpatur comis; quæ in vultu roſeis purpuraſcit genis, quæ in cervice lacteo candet nitore; quæ in ore corallinis rubet labijs, illa tua caro, quæ induitur byſſo & purpura, flos eſt diarius. Sole oriente oritur; meridie pandiculatur, veſperi marceſcit; ſole occidente occidit. Hodie ſumus validi, cras morbidi, perendie mortui, paulò poſt à vermibus exeſi, tandem in cineres converſi. Unô momentô ſtamus; altero cadimus. Uno valemus; altero rigemus. Uno vivimus; altero morimur. Si ſapis, tempore utere, & uſurâ temporis fœnerare momentum unicum; momentô unicô æternitatem.

I. Expli-

I.

Explicatio Symboli.

PRodigijs pene habentur ſimilia, quæ fulminum viribus effecta conſtant. Integris non nunquam loculis vagináque, liquâſſe aurum ferrúmque perhibentur; abſumpſiſſe econtra etiam loculos, vaginámque, illæſis auro ferróque; Salva matre peremiſſe in utero fœtum; ſed & fœtu ſalvo enecuiſſe parentem; dolijs integris exhauſiſſe funditus vina; non effuſo combuſſiſſe circum dolia; redegiſſe penitus in cineres humana corpora, & verò etiam peremiſſe homines, veſtigiô ſui nullô relictô. Id quoque mirum videri poſſit, quòd immunia quædam, à fulminum violentia ſint; quædam verò præ cæteris illi obnoxia. Creduntur vituli marini pelles, laureæq; coronæ præſtare ſecuritatem à fulmine: unde Imperatorum olim tentoria ejuſcemodi pellibus contegi ſolita memorant. Econtra fulmen *micat exitiale ſuperbis*, & celſiſſimos montes, turrium apices, denſas quercus, ſæ-

ſæpiùs de cœlo tangi advertimus. Verùm effectus hos mirari potiùs licèt, quàm rimari. Ita humana ratio etiam in ijs quàm maximè caligat, quæ, dum fiunt, plurimo lumine colluſtrantur.

II.

Proſecutio Vitæ.

FUlmini ſimiles ſunt bellorum Duces. *Duo fulmina belli Scipiades*: ita dudum cecinit Poëta. Nempe hi fulminum inſtar perſtringunt Provinciam, ſternunt populum, comburunt ſegetem, & miſeranda ſui veſtigia paſſim relinquunt. Quod alias fulmen agit hoc præſtat ferrum: vibratur in omnem partem, micat, ferit, vulnerat, necat. Date mala verba Jubali! Hic primus armorum inventor tales meretur inferias. Crudus hic artifex ipſo propè de tartaro vulnificum ferrum ſcrutatus eſt: coxit ſubinde, & flammis domitum malleo cruciavit. Quid mirum ampliùs, quòd tam ferum ſit ferrum. Ferrum à fumoſo fabro flagellatur ferrô; hinc ſua in nobis

bis vulnera vindicat, & vulneribus eruditur, ut vulneret. Experitur modò vindictam innocens Polonia, cui ſanguinis Chriſtiani Helluo Turca imminet. Serit hic clades ex cladibus; & dum captis dominatur, minatur capiendis. His lanceas inter lances, illis tumulos inter thalamos infert, ut pari ſomno accubantes, & cubantes occumbant. Ah dolor! Diruuntur ſacra Deo templa, & Divorum divitias prædatur ſacrilega manus. Infelix metallum! Nullibi tutum, ne in templo quidem: merito pallidum, quòd ubique inſidias paves. Ne tamen avarus prædo videretur, ſi Polonorum gazas, non ipſos raperet, aliquot millia catenis onerat. Trahuntur hoſtiles per cuneos indignâ pompâ,: exercitus olim, nunc turba. Trahuntur captivæ matres, & alumnos trahunt vinculis, antequam faſcijs obvolutos. Pari ludibrio nobiles Poloni inter fercula eunt. Verbo: evertit Poloniam, & everrit victor Turca, citiùs rapit arces, & oppida, quàm videt. Quæris, quanta acie? Terra contecta, montes depreſſi, flumina epota. Tandem

dem tot armatorum millibus unus obſtitit Stanislaus. Vocaverat hunc in vota Poloni militis Ductor; & abs mora in aëre viſus eſt, divinam placare Neměſin, hiſque verbis patriotas ſuos pro defendenda Patria animare. Quid agitis, imbelles? Occidi cupitis, cùm liceat occidere? O ingloriam Fortitudinem, quæ pati tantùm poteſt! Hoc ipſo peribit exanguis Religio, ſi ſanguinem totum fundatis inulti. Capite potiùs in armatos arma. Miſeri fiant, qui vos miſeros fecēre. His monitis perpunctus Princeps preces per caſtra, & Sacras liturgias indicit, ut incruenta divinæ hoſtiæ cædes cruentæ hoſtium cædi præluderet. Alterno enim fœdere Religionem Princeps, Religio Principem ſervat. Deinde primus in procinctu Lunam laceſſit; non receſſurus, niſi victoria receptui canat. Præpoſterè nempe bellatur, cùm Dux ab agmine ducitur, non agmen à duce. Stanislaus ipſe clientum ſuorum ſignis centuriatus, *micat exitiale ſuperbis*; & fulminea manu fecialem ſe præſtat. Volutantur humi nigra corpora; fugiunt ad orci

flam-

flammas fuliginoſæ jam animæ; ſtupent furiæ ſimiles ſibi advenas, & Tartari tenebræ à barbaris geminantur.

III.

Doctrina Moralis.

ILlud malorum maximum eſt, Timothee, quòd etiam anima nunquam ab hoſte ſit tuta. Vigilantiſſimus Dæmon eſt; omnem diu noctúque occaſionem explorat, qua imminere animæ, & lethalem ictum inferre poſſit. Totum mundum ſervator noſter energumenum invenit; ut dæmonem hominum obſeſſorem, ab hominibus amoveret, illum quàm potuit procul, ad ſe in deſertum abſtraxit. Et verò etiam pugnam impudens iteravit cum eo, à quo dudum in cœlis primo ſtatim congreſſu caſtris exutus, & ad inferos dejectus eſt. Paulò poſt tamen deſperatâ rur-

rurſum victoriâ ad homines redijt, hodiéque corda noſtra, vitrea illa animarum caſtra, furioſius oppugnat. Verùm macte animis eſto! Contra mille hoſtes unum unicum tibi cuſtodem ſelegi. Hoc ſolo ſi uteris, arx tua rupis inſtar perſtabit ſecura. Et quod magìs mirere; miles hic fortis eſt ſine robore, armatus ſine armis, magnanimus abſque animo; imò cùm ipſe timidiſſimus ſit omnium, omnésque timeat, omnibus tamen eſt timendus. Pando ſecretum. Timor DEI eſt, qui, ſi ad portas cordis tui excubet, in tuto poſita ſunt omnia. Vix Cainus, Perditorum Princeps, timorem DEI depoſuit, fortis eſſe deſijt; quia timenda non timuit: timet modò non timenda. Inani pavore territus, ac ſeipſum terrens idem ſemper, & alius; ibi ſemper, & alibi

Digitized by Google

bi ; ſe fugit,ac ſequitur, ſceleſtus ſceleſtum : umbram ſuam pavet, mendax mendacem. David, coronatorum primus, Carneum Philiſtinorum propugnaculum Goliam ſtravit Juvenis, & unico lapide fundavit Rempublicam : ubi ſed adultus nihil periculi in ipſo periculo timuit, imbellis à foemina vincitur ; eodem propè momento, quo timorem abjecit, integer & confractus, caſtus, & adulter. Quid ſolidius, quid firmius petra ? Sciſſa tamen eſt petra, poſtquam timorem perdidit Petrus, & commota eſt, poſtquam ille deſiît trepidare. Igitur DEUM time, & tibi cave, quia vitreus es, & inter caſus ambulas. Perverſa ſanè temeritas, quæ ſtuppæ flammam ſubjicit, & cupit, ut non ſuccendatur, quæ vitra collidit cum marmore, & cupit, ut non frangantur. Putas, arundines reſtituras, dum cadunt columnæ? Noctuas non offenſuras, dum offen-

dunt Aquilæ ? Vitra fore tuta ; dum rumpitur cryſtallus ? Nemo vincit , niſi qui trepidat ; nemo ſecurus , niſi qui timidus. Quamdiu trepidus non fueris , te ſecurum ne puta. Cogita perire te poſſe , ne pereas.

I.
Explicatio Symboli.

SCitum ænigma ſuburbanus ille villicus propoſuit, quando dixit; *optimum lignum non cædi: optimum florem non carpi: optimam volucrem nullo jaculo feriri.* Etiam peritioribus peregrinum hoc ac paradoxum eſt viſum: tandem dubium exemit hac paraphraſi. Optimum lignum, vitis, non cæditur. Optimus flos, frumentum non carpitur. Optimam volucrem, apem, nemo jaculatur. Plus dicit Orator aureus: quid abjectius ape? Et quid Pavone pulchrius? Uter autem præſtantior? Apíſne, an Pavo? Non dubium, quin Apis. Pavonem de medio tolle, nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, & ſuſtuliſti ſapidiſſimum illud mel, quo tot cibi condiuntur, tot ægri reficiuntur. Suſtuliſti candidiſſimam illam ceram, quo Regum menſæ, & Divorum aræ collucent. Ego plus illud miror, quòd Apis, animal per excellentiam purum, flores viſitet, non vitiet; lilia delibet, ſed illibatè; inter violas agat, ſed in-

violatè. Cæterùm primas fert fabrica, reſpublica, & œconomia Apum. Hanc ſi conſideres, magìs mirabere, quàm Regina Saba Salomonis familiam. Certè Apicula in ſuo mellificio longè ſuperat Salomonem in ſolio. Omnes cellæ ſexangulæ ſunt, & æqualia latera habent: ut adeò Geometriæ peritiſſimas crederes. Tres primi cellularum ordines relinquuntur inanes, ne in promptu ſit, quod veſpas, & muſcas ad furta invitet. Omnes eodem tempore comedunt; eodem diſcedunr cubitum, ut quietem & laborem ex æquo dividant. Triplici bombô quies imperatur; quo percepto, ut in alveo maximè ſtrepant, ſtatim omnes conticeſcunt. Triplici bombô excitantur ad operas, quo audito ad ſua quæque munera avolant? ſomnolentæ & inertes notantur, caſtigantur, quin & morte puniuntur. Demum, quod ars inter homines invenit, inter apes natura effecit; unam ſibi deligunt in Regem. Huic magnificum conſtruunt domicilium, & mænijs obvallant; hanc ſeniores, tanquam emeritæ, comitantur egredientem, reducem excipiunt *votis communibus omnes.*

II. Pro-

Digitized by Google

II.

Proſecutio Vitæ.

QUid prohibet Stanislaum dicere regem apum. Toti mundo mellificat, & dulciſſima beneficia in omnem, partem diſpenſat. Hactenus eas ſtellas imitatus eſt, quæ circa Jovem de novo deprehenſæ, appellantur comites Jovis & miniſtræ. Hæ lucem Jovis è propinquo hauriunt non tam ſibi, quàm Jovi: propterea ſubtiles ſunt: ut radios Jovis excipiant; fideles, ne retineant; ipſæ miniſterio ſuo contentæ, videri non appetunt. Sufficit illis, ſi incedat magnificentior, & glorioſior appareat Jupiter. Id ipſum muneris egit Divus noſter. Elegit latere obſcurus, ut magìs emicaret DEUS. Sed enim Theſaurus ignoratus neminem ditat; & lucerna ſub modio demereri incipit lumen, quod habet, quia nulli dat. Celata virtus ſterile bonum eſt; prodita & admiratores parit, & amatores. Hinc ut DEUS glorificantem ſe tandem glorificet, hodie ſupra candelabrum ſtatuit Stanislaum,

quem Roma Beatum declarat, non facit. Beatus jam erat ante Romanum judicium; quia nemo bene dives eſt, niſi de ſuo. Examinavit Roma divitias Juvenis, non dedit. Jam fama publica beatum vocabat; & difficile eſt, omnes falli: etiam miracula Beatum loquebantur, & erant lingua cœli. Meretur igitur honores publicos, qui merebatur privatos. Tria Stanislaum declarant beatum, & brevì declarabunt ſanctum: Innocentia vitæ, Puritas morum, Eminentia virtutum. Addit quartum titulum Polonia, & auget triumphum. Affirmat Stanislaum etiam Thaumaturgum, & liberatori ſuo tot ſpirantes ponit ſtatuas, quot ex nupera pugna ſervati reſtant cives. Ab eo tempore patronus populi, Pater Patriæ audit. Ut eſſet Solemne patrocinium, tranſivit in votum, & ſervatorem ſuum colunt *votis communibus omnes.*

III.

Doctrina Moralis.

HEm, Timothee, miraculorum maximum! Qui beneficia à Stanislao accepere gratum animum teſtantur, & *votis*

com-

communibus omnes benefactorem deprædicant. Rarum exemplum! Quamdiu leproſi morbô tenebantur, tamdiu humiles ſteterunt à longè; accedere prohibuit pudor ex conſcientia morbi: calamitas faciebat reverentes, & ærumnæ modeſtos. At ubi morbus abiit, ſimul evanuit memoria beneficij. Mundati corpore, cœperunt inquinari mente; nec aliud recuperatæ valetudinis ſignum dedêre, quàm quòd oſtenderînt, ſe jam poſſe fugere medicum. Unicus ex decem rediit, & Chriſto ſupplex palam probauit, quàm magni fecerit donum. Mirabatur reliquorum abſentiam Salvator, tanquam novam. At enim magis mirari debuerat, ſi rediiſſent. Ingratitudo inter homines nihil habet jam novum: ea vivimus tempora, ut potiùs gratitudo jam monſtri locum obtineat. Non eſt ferè vitium aliud, quod tam multi verbô damnent; tam multi rebus ipſis amplectantur, ac teneant. Vah perverſos mores! Nil cogitari peſtilentius poteſt. Ingratus hoc unum bene facit, cùm perit. Vel beſtiæ ſentiunt beneficia; nec ullum tam immanſuetum animal eſt, quod non mitiget cura, & amor. Leonum ora à Magiſtris impu-

nè tractantur. Elephantorum feritatem usque ad ſervile obſequium demeretur cibus. Adeò etiam, quæ extra intellectum atque æſtimationem beneficij poſita ſunt, aſſiduitas meriti pertinacis evincit. Avertant ſuperi, Timothee! Ut bruta poſthac Chriſtianorum Magiſtros agant. Execramur Iſraëlitas, quod tanta in illos miſſa beneficia, & amiſſa. Advolabant à cœlo coturnices; ſed dum rabida ora munus mandunt, munificem mordent. Caneſcebant agri dulciſſimo rore; ſed delicata mancipia delicias faſtidiunt & jumentis ſimilia jumentum colere incipiunt. Quanto magìs deteſtanda foret in nobis ingratitudo, quos non creavit ſolùm, & aluit, ſed & redemit DEUS, cùm ſervi eſſemus, & mancipia. Imò etiam Chriſtianos naſci, ac in vera fide educari voluit; ne Lytrum Sanguinis ſui periclitetur. Abſit, ut beneficia maleficos nos faciant. Pereant cum Iſraëlitis, qui beneficium in vitium vertunt!

I.

Explicatio Symboli.

ÆTernam memoriam meretur Gladius Gedeonis. Hic è Sacerdote Miles, ex DEI cultore illius ultor, ut ſanctè cultrum; ita fortiter vibrabat gladium. Centum & triginta Madianitarum millibus trecentos objecit, numero impar, ſucceſſu major, causâ melior. Ipſe DEO fidens, primus hoſtem laceſſit. Nam virtus, in exemplum poſita, micat, dum dimicat. Vix ſensêre fulgurantem Gedeonis gladium Madianitæ, lymphatis terrore, & errore animis, ceu Cadmæi Terrigenæ, inter ſe gladiis tranſigunt; & mutuis vulneribus cadunt. Premit victoriam victor, & hac illac fugat intrepidus, quos antè fugerat. Neminem ſuorum amittit; Neminen hoſtium ſervat. Quid? Quòd duo Reges etiam ſuperbire incipiant, quia gladio Gedeonis cadunt. Tantam huic gladio invidiſſe gloriam viſus eſt Georgius Caſtriotus, quem vulgo Scanderbegum nominant. Claruit Caſtrioti virtus plurium

Baſſarum periculó ;& ſuô majora geſſit, quàm putares geri poſſe. Alios cataphractos transverſim diſſecuit medios. Alios à vertice ad umbilicum diviſit. Omnes ita exterruit,ut Solymannus ipſe in parte felicitatis poneret , ſi thaumaturgum Scanderbegi gladium daretur intueri. Utrique meritiſſimo jure id laudis cum Poëta dederis ; *gravis ultor in hoſtes.*

II.

Proſecutio Vitæ.

Nemo magis miſeretur , ac DEUS ; nemo magis ulciſcitur , ac DEUS. Ipſe petit , ſibi vindictam committi , ſi quam in hoſtes tuos mediteris. Verè *gravis Ultor in hoſtes*, eos præſertim , qui Chriſtos tangunt , & Sanctorum gloriam obſuſcare præſumunt. Quid culpas mala tempora ? ſemper ſibi orbis conſtitit. Ter ſi diluviô mergatur,ter emerget impurior. Vitia erunt, donec homines. Mundo

coe-

coæva eſt invidia ; non deſinet, dum mundus deſinat. Penè ab orbe condito tabuit cæcâ rabie invidus Cain, quòd Abeli hoſtias voraret avidiùs Numen ; nec ſecundas Caini menſas curaret. Igitur diu deſignatum fratrem blandè ſeducit, proditoriè trucidat. Sed brevì malus malo pœnas dedit ; quia Lamechus nepos parricidio fratricidium expiat, & Cainum, urbe ſua exulantem, pro fera ferit, facili errore, quia ferarum ſimilem. Nocentem Caini ſobolem etiam innocens experitur Stanislaus; quem cùm mordere non poſſit, canum more, in ſtellas ſævientium, impudenter allatrat. Verùm non impunè feret hoc facinus invidia. Fateor quidem, hanc nobiliſſimam DEI artem eſſe, parcere poſſe, & velle; nec divinius aliquid facit, quàm dum ignoſcit. Imò, ut videas clementiæ modum ultra omnem modum, parcit armatus, dum ulciſci poteſt; parcit ingratis, & ſæpe in-

vitis;

vitis; pepercit ab ineunte mundo, & perſeverat parcere; prævidit peccaturum mundum, & tamen condidit: demum Patrem ſe miſericordiæ appellat, non Juſtitiæ. Interim & illud fateri neceſſe eſt, æquè juſtum eſſe DEUM, ac miſericors eſt. Agnoſcit illius Juſtitiam ſcelus, & & virtus. Juſtus eſt DEUS, dum promiſſam mercedem bonis rependit; juſtus eſt, dum ſcelus punit; imò, manca foret Juſtitia, niſi foret gemina; & non minùs pœnam ſceleri, quàm coronam daret virtuti. Addo, graviùs ſentire DEUM injurias Sanctis ſuis, quàm ſibi illatas. Has pupillas qui lædit, DEI oculum lædit; læſô oculô, fruſtra benignus ſperatur aſpectus. Rei hujus teſtes in imagine expreſſos vides. Primus Societatem oderat, & Stanislaum, quem nobis inviderat, Jeſuitam negabat. Sed homo elatus in præceps ruit è cathedra, & propè abeſt, ut ex hominum ſocietate exturbetur. Armenorum quiſpiam

San-

Sanctitatem beati Juvenis ſuſpectam habuit;& ecce! Penè SanctũSanctorum perdidit, quiaImago Divi, è muro decidens, pertinaci caput fregit. Noli jam quærere, quid reſurgens à mortuis Chriſtus apud inferos egerit. Si bonus es, tibi aditum clauſit; ſi malus, aperuit, *gravis ultor in hoſtes.*

III.

Doctrina Moralis.

AH! peccantium ſtolidæ mentes! Increduli monentur, Timothee, nec moventur: qui flenda vaticinantur, vates ridentur. Nimirum præcipites lentam ultionem non timent; ignari, quòd, ut graviſſima quæque, ita pœnæ graviores ferantur lentiùs. Deberet Jabelo impietas, ſi cœli oculos poſſet fugere; nam cùm ex Caino didiciſſet, cœlo teſte vivere impios, nec

nec ullam ſceleribus latebram dari; pellicea primus tentoria prætexuit, quæ cœli conſpectum raperent. Sed incaſſum laboras; proditorem omnia produnt, & infandum facinus ſuò tempore etiam muta fantur. Veniet ſumma dies, die carens; cùm Apparitor Angelus omnes anteſtari jubeat hoc forum, cui omnia liquent. Quod vadimonium nec favor excuſabit, nec lacrymæ; imò ne mors quidem. Nam elementa ſeſſuri Judicis metu feſtinabunt reddere, quod ſingulis debent: de cadaveribus, quæ abſumpſerunt, ne ipſos quidem cineres retinebunt. Jam aperti ſunt DEI libri; timete peccatores! In his totum continetur, unde mundus judicetur. Totum; cogitationes, verba, & opera. Totum, quidquid contra DEUM, contra proximum, contra te ipſum peccâſti. Totum, quod commiſiſti,

ſti, quod omiſiſti, qnod neglexiſti. Totum, quod memoriâ, intellectu & voluntate; quod auribus, oculis, manibus, linguâ, ſtomachô, ventre, pedibus & toto corpore deliquiſti. Totum, quod domi & foris, clàm & palàm, & in lecto, & cubiculo, in ſchola & platea, in ſacello & templo, in ſylvis & agris commiſiſti. Totum, ita ut diſſimulari nihil, negari poſſit nihil. Negare ſi velis, accuſabit conſcientia ſcelerum conſcia, quam commaculâſti; accuſabunt dæmones, quorum tentationibus acquieviſti, accuſabit cœlum, ad quod non aſpirâſti. Ita ex omni parte te accuſabunt, quia abuſus es; accuſabunt Angeli, quorum monita ſpreviſti; accuſabunt Sancti, quorum exempla non es ſecutus; accuſabit te Mater DEI, & Luna non ampliùs dabit lumen ſuum, quia miſericordiam non

acce-

acceptâſti Neſciet tunc DEUS mitis eſſe crudelibus ; damnabitur unusquiſque ſe teſte , ſe accuſatore , ſe judice. Abradentur è mundo monumenta omnia ſcelerum ; & ne vel ipſa jam extent eorum loca , nova tellus educetur , & novum cœlum. Metue , Timothee , non cunctaturum judicem. Plus metue cunctantem. Diu gravida nubes damnoſiùs parit.

Digitized by Google

I.

Explicatio Symboli.

AMor, leonum domitor, humanos inter affectus ſedem principem occupat, ex bono natus, & cor hominis nactus in cunis. Dulci quodam lenocinio hominem devincit, & plùs, quàm magnes ferrum, attrahit animum. Infundit amor objecto amabili, neſcio, quid ſideris, quod potenti vi etiam invitos conciliet; etiam incultos blando incendio adurat. Sæpius videas primo aſpectu ita pellici, ut ſui parùm memores, in eo, quaſi Polypo, hæreant. At verò, ùt fortis ſit omnis amor, prævalet tamen amor Matris; cujus rei vel inter beſtias luculentum teſtem agit gallina, dum pullos ſuos educat. Amor illius poteſt omnia, vincit omnia; nunquam ſibi deeſt, ut in eos, quos amat, cumulatior eſſe poſſit. Jejunat læta, ſi pulli ſint ſaturi; ſi ſecuri, periclitatur libens. Alio clamore prolem ad paſtum convocat; alio ſub alas congregat. Hi verò nuper

nati, ſine doctrina, ſine præceptore, intelligunt linguas, quas nos ignoramus. Porrò, ùt timidiſſima aliàs, & ſine audacia ſit, vix accipiter pullis imminet, crocitare incipit, & unguibus ſeſe armare. Tam ſolicitè *ſuos fovet, atque tuetur.*

II.

Proſecutio Vitæ.

OLim leo, ex ungue, & Coloſſus ex pollice: hodie Stanislaus ex digito noſcitur. Quàm ſolicitè Stanislaus ſuos fovet atque tuetur! Olim Thaumaturga fuit manus Moyſi, cùm petram percutiens, lapides emolliit, non homines; & ingratis Hebræis non ingratum liquorem è pumice produxit: thaumaturga; cùm naturam movit, ut tota condiendis altilibus ancillaretur: thaumaturga; cùm hoſtes dejecit, quando in monte fixus, manum ſuam ad DEUM erexit. Stupuêre hanc manum Ægyptij: & Moyſem Pharaonis DEUM dixerunt. At enim Moyſi Stanislaum præfero, hoc ipſo,

ipſo, quòd divinam virtutem propiùs æmuletur. DEI potentia non ex manu, ſed ex digitis commendatur. Miramur, quia tribus digitis appendit molem terræ; miramur, quia in digito ejicit dæmonia; miramur, quia luna & ſtellæ opera digitorum ſunt; miramur, quia in uno digito ſurdi, muti, cæci totam manum ſensêre. Etiam unus Stanislai Digitus inſtar manûs fuit. Parùm dixi: centum manus ſuperavit. Prædator ignis Convictum Dilinganum ex improviſo invaſit, & ſpolijs ſuis adeò pertinax incubuit, ut fruſtra fuſæ preces, & altiora votis fuerint incendia. Tandem extorris domeſticorum ordo, fuligine ac favillâ ſordidus, ad Divum Indigenam accurrit, thaumaturgam aufert Digitum, & ad locum incendij affert. Res mira viſu! Vix Digitus ignem tetigit; avarum elementum omnem potentiam amiſit, & ſolâ fugâ contentum, intacta reliquit, quæ furori jam deſtinârat. *Ita ſuos fovet, atque tuetur.* Latuiſti hactenus, Modeſtiſſime juvenis, & mirabili humilitatis tuæ vir-

tute virtutes omnes ſic operuiſti, ut nemo te Dilingæ vixiſſe ſenſerit. Hanc tamen unam, qua cæteras tegis, nunquam teges; quia ex eo jam dudum plurimis glorioſior apparuiſti, quòd, cùm talis, ac tantus eſſes, non apparere volueris. Tandem in plena luce appares, & nullâ re magìs, quàm humilitate tuâ, gloriantur Convictores. Imò ſupplices ad aram ſternuntur, quibus olim ſternebas menſam; & ideò maximè ambiunt eſſe famuli, quòd tui potuiſſent eſſe domini.

III.

Doctrina Moralis.

TAndem tibi teſtamentum Stanislai conſigno, Timothee. Hæredem ſcripſit Convictum, & Academiam inprimis Dilinganam. Quamquam pia Legata Academijs & Gymnaſijs omnibus velit eſſe communia. Aperi, & lege; brevis ſynopſis ſic habet. Abiturus è vita, vera ſcribo; quia ſcribo eo momento

mento

Digitized by Google

mento ; quo nemo mentitur. Vicinus æternitati, quaſi æternus loquor. Morituro ſummum fecêre ſolatium Regulæ, Roſarium Magnæ Virginis, & Imago Salvatoris Crucifixi. Has meas divitias vobis lego. Amplæ ſunt; quia poſt ſe trahunt ampliſſimas, ſcilicet æternas. Si Convictus, & Academia ædificium eſt; Regulæ ſunt fundamentum. Si corpus; Regulæ ſunt nervi. Si arx; Regulæ ſunt muri. Si locus ſanctus; Regulæ ſunt clauſtra. Nolite credere falſis Prophetis. Mel habent in ore, fel in corde; baſia in labijs, venenum in lingua; riſum in oculis, iram in viſceribus; ſanctitatem in verbis; ſacrilegium in factis. Angeli vultu, Dæmones mente; habitu oves, moribus lupi. Nihil parvum eſt, quod DEUS præcipit: Deus autem has regulas fundatoribus dictavit. Verus Chriſtianus non eſt, qui vel in uno infidelis eſt. Qui non omnes obſervat regulas, verus Convictor, verus Academicus non eſt. Deinde cultum Divinæ Matris commendatiſſimum vobis volo. Nihil iſthac potentius; nihil

amabilius; nihil potentius. O quanta dignitas, Filium participare cum DEO, & ulnis Alumnum gerere, orbe majorem! O gratas educationis vices! Illa ſervat; hic ſervit, & altricem ſuam Alumnus alit. Orant alij numen, hæc cogit; nam Matris vota imperia ſunt. Nihil hac amabilius. Annis triginta domi hæſit Divinus Philoſophus, quia omnes in Matre delicias habuit. Athenæum ſupplebat MARIA, & hujus aſſidua contemplatio erat encyclopædia; quòd alia in terris eruditio Magiſtro hoc digna non fuerit. Rurſum, ſicut deſcendentis è cœlo prima ſtatio MARIÆ uterus, ita aſcendentis è ſepulchro prima requies fuit MARIÆ domus. Si apud inferos pœnam potuiſſet pati, alia certè non fuiſſet, quàm quòd ibi ſe vidit, ubi MARIA non eſſet. Demum pendentis è cruce DEI effigiem vobis relinquo. Ut morienti peccatori in Civitatem Refugij facilior eſſet ingreſſus, non in uno duntaxat latere, ſed in omni angulo januam aperuit. Avarus DEUS non eſt; promptuaria ſua ultrò of-

offert ſine ſeris. Divitiæ illius omnes his in ſpecubus aſſervantur. Quem hîc theſaurum non inveneris, planè perditum puta. Hac ad arcana cœlitum iter eſt; qui per hæc oſtia ad DEUM non intrat, fur eſt, & latro.

BREVIS EPITOME
VITÆ,
MIRACULORUM,
BEATIFICATIONIS,
ET
CANONIZATIONIS
EX CONSTITUTIONE SS. PP.
BENEDICTI
XIII.
Authenticè Deſumpta.

Digitized by Google

APOTHEOSIS
SANCTI STANISLAI.
INGRESSUS.

AGe Fama, & loquaci buccinâ Stanislaum inter Sanctos relatum promulga. Scio : taciturnus juvenis tibi ſilentium impoſuit, ne quid de ipſo loquerêre. Cùm veraciſſimus eſſet, timebat, ne pro more tuo auxeſin faceres, & mendacium diceres. Cùm modeſtiſſimus eſſet, metuebat ne modeſtiæ excederes limites. Sed inanis hic timor fuit : de Juvene tam inſigniter Sancto etiam Fama mentiri non poteſt. Deinde ùt Fama taceat, & modeſtiæ parcat, loquentur opera, clamabunt beneficia, & occultum Authorem producent in publicum. Denique imperium Sanctiſſimi eximit te hodie obedientiâ Sancti. Igitur vola per orbem univerſum, & brevibûs verbis longum negotium tracta. Adverte Mundum, Stellam novam apparere, & quanquam in

cœlo frigidiſſimo orta ſit, calentiſſimam tamen lucem circum diffundere. Subin prælege Clementiſſimum Clementis XI. decretum, tot Prncipum votis expetitum, & annô currentis Sæculi decimo quarto à ſupremo Principe expeditum. Mors Sanctiſſimi moram injecit publicæ Solemnitati. Et verò tanta benedictio Societati obvenire non poterat, niſi à Benedicto XIII., cui omnes terræ incolas jube benedicere, quòd decretum ab Anteceſſore formatum ſuâ Authoritate rurſus firmaverit, & cæptæ coronæ Divi Stanislai glorioſiſſimam coronidem impoſuerit. Tum repete Sanctiſſimum vitæ canonem, qui âb ipſo Sanctiſſimo in compendium redactus, dignum fecit Stanislaum, ut à Benedicto XIII. Sanctorum Canoni formâ Canonicâ adſcriberetur: ſubjunge prodigioſi Juvenis ſelecta miracula, quæ illum toti orbi mirabilem, & amabilem reddunt.

Expli-

Explicatio Symboli.

NOn vana ſemper omnia ſunt ſomnia. Interdum vera ſunt futurorum omina. Quod Margarita vidit pretioſi Stanislai Mater, cœlo oſtendente vidit. Necdum primam lucem aſpexit Filius, & lux cæleſtis illuſtres aliunde natales etiam ſuo ſplendore illuſtravit. Cùm uterum ferret, vidit hunc inſolito circumdari lumine, & medium ſignari ſanctiſſimo JESU nomine, ſignaculo Vitæ. Sic illuſtri prodigio, quàm illuſtris futurus eſſet filius, cœlum palàm fecit. Nomen JESU erat apertum latentis Jeſuitæ indicium, & ſplendor inſolitus erat clariſſimus inſolitæ Sanctitatis prodromus. Ominoſum hoc viſum firmavit eventus. Natus in lucem Stanislaus ſtatim mundo inſtar lucidiſſimæ ſtellæ lucere cœpit: imò, non radios tantùm, ſed integri penè zodiaci ſplendorem diffudit. Radiabat in hoc Juvene *Virgo.* Totus erat virgineus Stanislaus. In tenera adhuc ætate rigidô cilicio extrema corporis incinxerat, ut venerem etiam à limite fugaret. Nullibi ſecurior

 puri-

puritatis integritas, quàm in corpore lacerato. Nimis delicata eſt Dea cypria, & vulnera metuit, ubi ſanguinem videt. Virginem comitabatur *Libra*, omnium actionum moderatrix, ſed ad trutinam duntaxat legum Divinarum. Ad hanc Stanislaus æquabili libramento affectus omnes compoſuit, probè gnarus, *Solem* æternum jugiter habitare in Æquatore. *Aquarius* ſedebat in oculis, ut liquidas lacrymarum pluvias Divino amori funderet, ſi quando Stanislai pectus incendiô exæſtuaret. *Piſces* natabant in diſertiſſima lingua; muta hæc erat omnibus, præterquam DEO; vel cùm de DEO, aut pro DEO erat facundè diſſerendum. *Sagittarius* candidum ſibi cor Stanislai ex integro vindicavit, & ignita amoris jacula identidem evibrabat in cœlum, ubi candidus & rubicundus Stanislai Dilectus morabatur. *Gemini* propriam in Stanislao ſedem invenerant. Arctiſſimam hic Juvenis cum DEO ac virtute unionem ſervabat. Emicabat fortiſſimus *Leo*. Tenellus Stanislaus jam patrabat, ab adultis minimè patranda; jam ferebat, à fortiſſimis vix feren-

ferenda. De *Sole* quid quæris? Sol Cœleſtis habitat in Æquatore. Sol Divinus, cùm Virgo ſit, in ſinu Virginis captat quietem. De *Luna* quid dubitas? Argentea eſt, & candorem quærit. Simile amat ſimile. Puriſſima Luna *MARIA* primò ſtatim Conceptionis puncto DEI Filio præparata in Matrem, formata in ſponſam, elaborata fuit in thronum. Quomodo hic thronus potuit maculâ eſſe aſperſus ex quo ipſa innocentia jus dixit? Atqui Virgo immaculata in corde immaculato reſidet? En! cum Stanislao natum eſt novum Firmamentum. *Lux Nova, Lux grandis.* Fingant Aſtrologi fatales in ſtellis horoſcopos; divinent aliena fata, dum neſciunt ſua. Ne vanus credatur Stanislai horoſcopus, proponit illum lux cœleſtis, & illuſtrat ſalutiferum JESU Nomen.

De-

Decretum Clementis
PAPÆ XI.

DIgnus hic erat Pontificiâ tiarâ, antequam gereret; adhuc privatus deſtinabatur publico, & ſupremo honori. Credebatur dignus, cùm adhuc nuncium ageret: & Nuncius Pontificis jam erat Nuncius ſui. Fuêre, qui dicerent: hic Nuncius brevì Nuncios mittet. Ita viſus eſt diu ante, qualis erat futurus; anteceſſit vox populi vocem DEI. Præparârunt illum huic dignitati magna privilegia naturæ, & majora gratiæ. Virtus, Scientia, experientia aptabant Sedi Romanæ, antequam ſederet. *Clemens*, quàm amabile nomen! quid mirum, ſi hunc orbis elegit in Paſtorem, quem amor, & nomen jam fecerat Paſtorem. Multi glorioſa, & magnifica portant nomina, ſed prorſus inania, ſi ſpectentur opera. Magna ſolùm merentur nomina gerere, qui magnîs factîs magnum nomen exæquant. Talis fuit Clemens XI. quem nemo non

Cle-

Clementem, & manſueti Chriſti manſuetiſſimum Vicarium expertus eſt. Amavit ſemper omnes, amabilis omnibus; fecit delicias ſuas genus humanum, & ſe generis humani delicium. Hac clementi virtute plurimos ad DEI clementiam ac virtutem perduxit. Sola, quæ minimæ Societati maxima exhibuit Beneficia, ſummam Clementis teſtantur clementiam. Inaudito hactenus favore unus tres purpuras huic donavit; & addidiſſet quartum in cœlis Purpuratum, niſi inclemens mors ipſi purpuram cum tiarâ detraxiſſet, & Clementiſſimum Patrem è vivis rapuiſſet. Illud tamen impedire non potuit, quòd, qui ad mortem ſemper expeditus erat, etiam decretum adhuc expediret, & Stanislaum honoribus Sanctorum dignum declararet.

Scripſit, & quievit: nam ad Sanctum Clientem Sanctiſſimus in cœlum abjit.

DECRETUM
CANONIZATIONIS
B. STANISLAI
KOSTKÆ
NOVITII SOCIETATIS JESU

PRopoſita aliàs, nempe die 9. Maij 1713. in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habitâ coram Sanctiſſimo Domino Noſtro cauſa Canonizationis BEATI STANISLAI KOSTKÆ Novitij Societatis Jeſu, diſcuſſóque dubio-*An, & de quibus Miraculis conſtaret in caſu, & ad effectum &c.* Sanctitas Sua, auditis tam Conſultorum, quàm Reverendiſſimorum DD Cardinalium ſuffragijs, diſtulit eâ die reſolutionem, ut priùs de more Cœleſtis luminis auxilium in tam gravi deliberatione imploraret. At poſtmodum, nempe die XII. Novem-

bris

bris ejuſdem Anni 1713. ex tredecim adductis, ac diſcuſſis Miraculis, tria approbavit, videlicet: Primum inſtantaneæ ſanationis Annæ Theodoræ de Ligniville atrophiâ, & impotentiâ crurum à pluribus annis laborântis, ſed tanquam ſupra numerum, utpote ſecutum ante indultam eidem BEATO STANISLAO venerationem; Necnon alia duo, quæ poſt indultam venerationem hujuſmodi ſupervenerunt, nempe Quintum repentinæ Sanationis Andreæ Fauſti Unikovvski Monachi Ordinis Sancti Benedicti lethali morbo ægrotantis; Ac Duodecimum inſtantaneæ itidem ſanationis Franciſci Xaverij Societatis Jeſu à Paralyſi.

Eâdem ſubinde Generali Congregatione coram Sanctitate Sua die 17. Julij proximè præteriti iterum

rum habitâ, factâque à Reverendiſſimo D. Cardinale de Abdua juxta præſcriptum Decretorum plenâ, & diſtinctâ relatione omnium in hujusmodi Causâ geſtorum, propoſitum fuit ab eo Dubium -- *An ſtante approbatione trium Miraculorum ut ſuprà factâ, tutò procedi poſſet ad ſolemnem Canonizationem ejusdem BEATI STANISLAI* -- Ad quod omnes unanimi voce affirmativè reſponderunt. Verùm Sanctitas Sua antequam quidquam decerneret, tam ſuis, quàm aliorum precibus ſe denuo ad DEUM recurrere velle declaravit, ut dirigente Domino greſſus ſuos, eam, quam ipſe monſtrâſſet viam, tuto pede inire poſſet.

His demum impletis, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter infra

ſra ſcriptâ die ipſimet B. STANISLAO *Sacrâ*, R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me Pro-Secretario Congregationis ſupradictæ accitis, præſens Canonizationis ejusdem BEATI STANISLAI quandocunque faciendæ Decretum expediri, & publicari mandavit, non modò ad novum, ac inſigne decus memoratæ *Societatis* JEſu de Catholicâ Religione multis nominibus meritæ, in qua ſcilicet Beatus Juvenis conſummatus in brevi explevit tempora multa: *Sed* etiam ad ſpeciale, ac maximè opportunum ſolatium Populorum inclyti Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithuaniæ, ut qui jam pridem, patrocinio, ac tutelâ ſupradicti BEATI

TI STANSILAI feliciter potiti ſunt, ad illius præſidium in præſentibus ſuis neceſſitatibus alacriùs ac ferventiùs implorandum excitentur, Hac die XIII. Novembris 1714.

F. Cardinalis de Abdua
Præfectus.

Loco ✠ Sigilli

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparit. S. Rit. Cong. Pro-Secr.

Conſt-

Conſtitutio Benedicti PAPÆ XIII.

BEnedictus, qui venit in nomine Domini! ita juvat applaudere Benedicto XIII., quem DEUS elegit ſuô ſuffragiô. Cùm ſacrum Collegium ſe colligeret, & Vaticanum ingrederetur, ut Prophetam ageret, jam publica ſententia fuit: Si Spiritus Divinus eligat Pontifices, hunc eliget: ſi Homines, fallentur planiſſimè, niſi hunc eligant. Electus eſt ergo, qui penè ante electus jam erat; jam vulgò appellatus eſt Sanctus, nondum Sanctiſſimus. Dudũ orbi placuit, Paſtor orbis futurus; & placuit Romæ conſenſus populorũ. Soli Benedicto diſplicuit electio, & Vir humillimus aſcendere noluit ad Divi Petri ſolium. Ut honores ſecuriùs fugeret, jam à prima ætate quæſivit latebras, & umbram. Deſeruit ſæculum, & ſacrum Divi Dominici induit habitum. Fumoſas Majorum ceras velut evaneſcentem fumum deſpexit. Solam æſtimabat nobilitatem virtutis. Ad hanc non una, vete-

veterique cera inclytus, ſemper animum exhibuit cereum. Sed, quo magîs ſe occuluit, magîs ſe prodidit; & dum publicam declinat lucem, incidit in majorem: ſibi humilis, alijs excelſus, jubetur aſcendere ſedem Epiſcopalem. Sibi obſcurus; aliis clarus induitur ſacrâ purpurâ, & ponitur in candelabro Eccleſiæ. Sibi minimus, eligitur Pontifex maximus. Quod rarum eſt honores in illo non mutârunt mores. Eadem virtus, quæ luxit in privato, effulget in publico. Addita eſt dignitas meritis, non merita dignitati. Nunc talem habet Pontificem, qualem poteſt optare. Unus eſt; & repræſentat omnes. Vivunt in hoc duodecim Benedicti, & gaudent eſſe pars Benedicti XIII. Reviviſcunt in hoc Urbani, Clementes, Pij, Innocentij; erant priùs amici, nunc omnes Collegæ ſunt in Benedicto. Sanctitas & doctrina in hoc ſancto doctóque Pontifice certant de palmâ. Nec Sanctitas doctrinæ, nec doctrina cedit. Sanctitati. Omnes in eo venerantur ſanctimoniam. Nullus non ſuſpicit ſapientiam, quam præterre alteri debeant,

hæ-

hærent in ambiguo. Norma ſanctitatis ſanctam gubernat Eccleſiam. Dogmate Sapientiæ Eccleſiaſticum Ordinem redigit in optimum ordinem. Ad dignitates Eccleſiaſticas non admittit ſuffragium ſanguinis, ſed ſolùm Virtutis. Doctrinâ claros, & pietate Vitæ conſpicuos deligit, ut veritate ſapientiæ refellant falſitatem, ut probitate Vitæ tollant improbitatem. Adeò omnia ſub hoc Sancto doctóque Pontifice procedunt ſanctè, & ordinatè. Benedictus artem invenit ſociandi res duas, quæ hactenus viſæ ſunt ſociari vix poſſe, amorem, & timorem. Aliàs timor excludere ſolet amorem, & timorem Amor. Ille ad rem amatam fugit; hic currit. Ille apprehendit bonum, hic deſerit. Uterque alas habet, ſed amor, quibûs veniat, & timor, quibûs fugiat. Mutaverunt in Benedicto naturam affectus gemini: in alijs oppoſiti, in hoc Pontifice ſunt amici. Amat hunc timor; timet hunc Amor. Prævalet tamen amor. Facit amabilem indoles; amabiliorem affabilitas; amabiliſſimum beneficentia.

Indoles adeò bona eſt, ut vix bonitas differat à natura. Nullus homo eſt, etiam malus, cui bonus non fuerit. Auget amorem affabilitas: omnibus ſe communicat, nulli ſe negat. Magìs alienus eſt, quàm ſuus. Omnis hora publica, nulla domeſtica. Nemo excluditur, etiam miſer; nemo anteſertur, etiam nobilis & dives. Hîc affabilitas non ſolùm verboſa, ſed & benefica eſt. Nulla eſt calamitas publica, quam non ſublevet; nulla privata, quam non minuat; nulla fortuna beata, quam non faciat beatiorem. Jam non mirum, ſi omnibus admirationi ſit capaciſſima regnantis Benedicti mens, quæ quadam DEI quaſi imitatione à fine Orbis ad finem Mundi attingere omnia fortiter, gubernare, diſponere ſuaviter didicit. Suaviſſimum regimen Amabiliſſimi Patris etiam experitur noſtra Societas, verè Benedicta ſub Papa Benedicto. Ut minimam exaltaret, ſe demiſit ad maximos labores: Angelico Patri debet Angelicus, Aloyſius formatum, probatúmque de ſua ſanctitate proceſſum.

Hu-

Humillimo Patri debet humillimus Stanislaus confirmatum de ſua Apotheoſi decretum. Quòd ultimò Decembris clariſſimâ ſolennitate declarati ſint Sancti, uterque debet Sanctiſſimo Benedicto. Sanctiſſimum loquuntur prodigia; & poſt obitum declarabit Roma.

CONSTITUTIO
De eodem B. Stanislao
Sanctorum Canoni adſcripto.

BENEDICTUS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM
DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

DUm Chriſti voce compertum eſt, à nemine lucernam accendi, & poni eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt; Nos, DEI cultus in ſanctis ejus amplificandi ſummè ſoliciti, hinc monemur, pium, & juſtum eſſe, ut quos Deus ſtolâ gloriæ indutos ob merita ſanctitatis coronat in cœlis, eoſdem nos quo-

quoque publicæ venerationis præconio in terris laudantes, ipſum DEUM in ijs glorificemus, cujus magnitudinem in geſtis Sanctorum coruſcare certiſſimum eſt. Hos inter fulſit beatæ memoriæ adoleſcens Stanislaus Koſtka, Chriſtianis virtutibus, magníſque miraculis, clarus, quæ ad S. R. E. canonicas regulas maturo conſilio comprobata, nos induxerunt, ut hac die, in honorem anteceſſoris noſtri Silveſtri confeſſoris atque pontificis Deo ſacra, eum ſanctorum Confeſſorum faſtis adſcriberemus.

Stanislai virtutibus per Clementem X., qui eum Polonis & Lituanis primarium apud Deum patronum adſignavit, undequaque adprobatis, piæ quoque recordationis Clemens XI. ejuſdem miracula, coram ſe per venerabiles fratres S. R. E. Cardinales in examen adducta, Pontificiâ auctoritate adprobavit, decreto edito de beato Dei ſervo in ſanctorum Confeſſorum canonem referendo. Clemente verò prius quàm ſolemni ritu rem tantam abſolveret, viam univerſæ carnis ingreſſo, nos, qui meritis licèt imparibus, eidem in cathedra

 bea-

beati Petri ſucceſſimus, in tribus conſiſtoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum nobiſcum Romæ præſentium, geſtis Beati Stanislai ritè perpenſis, unanimi omnium ſententiâ per Sedis Apoſtolicæ Notarios coram nobis exceptâ, Regúmque ac Principum Chriſtianorum, & Societatis JEſu, pro illo in ſanctorum Confeſſorum canonem referendo, precibus Apoſtolicæ Sedi & nobis enixè porrectis, rei perficiendæ ſolemnem de more diem indiximus.

Mox per orationes, jejunia & eleemoſynas omnipotentis Dei ope ferventiſſimè implorata, ac univerſis, quæ ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diſciplina receptisque conſtitutionibus agenda erant, omni religione peractis, hac ipſa die in honorem anteceſſoris noſtri Silveſtri confeſſoris atque pontificis Deo ſacra, una cum jam dictis venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac utriusque Cleri & populi frequentiâ

in

in ſacroſanctam Baſilicam Principis Apoſtolorum DEO ſupplicantes convenimus, ubi ſemel, iterum & tertiò pro DEI ſervo Stanislao ſanctorum Confeſſorum canoni adnumerando, per Dilectum filium noſtrum Alvarum S. R. E. Tituli ſancti Bartholomæi in Inſula Presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, precibus repetitis, poſt decantatas ſacras orationes & Spiritûs ſancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Chriſtiani nominis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filij & Spiritus ſancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, de eorumdem venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, nobiſcum in plenario conventu baſilicæ Vaticanæ præſentium, conſilio & unanimi conſenſu, beatum Stanislaum Koſtkam Polonum, Societatis JEſu novitium, de cujus ſanctitate, fidei & ceterarum virtutum magnitudine, ac miraculorum excellentia plenè

conſtabat & conſtat, unà cum Beato Aloyſio Gonzaga ejuſdem Societatis JEſu clerico, ſanctorum Confeſſorum non pontificum canoni adſcribendum decrevimus & definimus, prout præſentium tenore adſcribimus, decernimus, & definimus, eundémque per omnes Chriſti fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, ſtatuentes, ut in Eccleſia univerſali in ejus honorem ædes ſacræ & altaria, in quibus incruentum ſacrificium DEO offertur, ædificari, & quotannis idibus Novembribus, ejus ſolemnia, ut ſancti Confeſſoris non Pontificis, celebrari poſſint.

Inſuper eâdem auctoritate omnibus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui eodem ſolemni die in honorem beati Stanislai quotannis ad ejus exuvias, quæ in æde ad honorem beati Andreæ Apoſtoli DEO ſacra in Quirinali adſervantur, venerandas acceſſerint, annum & quadragenam; ijs verò, qui in octavo ejuſdem diei feſti, quadraginta dies de injunctis, ſeu quomodolibet eis debitis pœnitentijs, mi-

miſericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Poſtremo gratiis DEO actis, quòd Eccleſiam ſuam inſigni hoc novóque luminari illuſtrare voluiſſet, cantata in honorem ſanctorum Stanislai Koſtkæ & Aloyſij Gonzagæ ſolemni oratione, in ara maxima ſupra confeſſionem Principis Apoſtolorum ſacroſanctum miſſæ ſacrificium celebravimus cum ejuſdem & alterius Confeſſoris commemoratione, omnibúsque Chriſti fidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam conceſſimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnóque beneficio nobis conceſſo omnes benedicamus & glorificemus DEUM Patrem & bonorum omnium auctorem, cui eſt honor & gloria in ſæcula, aſſiduis precibus ab eo flagitantes, ut per interceſſionem electi ſui Stanislai Koſtkæ, à peccatis noſtris indignationem ſuam avertens, oſtendat nobis faciem miſericordiæ ſuæ, immittátque timorem ſui ſuper gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoſcant, quia non eſt alius Deus, niſi Deus noſter.

Ceterùm quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ad quæ opus eſſet adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, relationis, mandati, ſtatuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingeſimo viceſimo ſexto, pridie Kalendas Januarias, pontificatûs noſtri anno tertio.

Com-

COMPENDIUM VITÆ S. STANISLAI

QUæ ſuprà per diverſos Iconiſmos de vita ac prodigijs S. Stanislai ſparſim indicavi, in unum redacta cumulum tuis oculis ſubjicio. Et ne ullum tibi de veritate ſuboriri dubium poſſit, ipſiſſima præmitto verba, quibûs Benedictus XIII. vitam ac prodigia Divi Juvenis in ſua Conſtitutione explicat Ego ſtylô conſuetô paulô fuſiorem adjeci paraphraſin.

PARS I.

ORTUS, STUDIA, FUGA S. STANISLAI.

Sanctiſſimus Papa Benedictus in hæc verba ſcribit.

STanislaus in avito oppido Maſoviæ, Ducatus Regni Polonici, medio ſæculo Chriſti Do

Domini decimo ſexto ex ſenatoria familia natus, Viennam Auguſtam in ſeminarii Societatis JESU liberalibus diſciplinis imbuendus profectus eſt. Præ multis virtutibus, quibus excelluit, illibatum morum candorem tam ſanctè ſervavit, ut ſi quem minùs honeſtè loquentem audiret, veluti exanimis ſtatim concideret. Ob rerum & temporum vices ſoluto ſeminario Vienenſi, Stanislaus poſt annum inde egreſſus, in tenera ætate magnæ virtutis, Chriſtiano more exercendæ, occaſionem offendit. Hoſpes enim, in cujus ædes cum fratre migrare coactus eſt, Lutherana hæreſi infectus; nimiúsque fratris rigor, innocentiſſimi adoleſcentis animum non modicâ perturbatione impleverunt. Sed invicta Stanislai virtus nunquam ſuc-

ſuccubuit, unam duntaxat ærumnarum omnium duriſſimam ratus, quòd in domo à rectâ fide aliena graviter decumbens, ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento refiçi non poſſet. Divino tamen prodigio per cœleſtes juvenes, præſente beatâ Barbarâ virgine & martyre, cujus patrocinio in re tanta ſe commendaverat, pane angelico recreari meruit, unde animæ & corporis viribus mirificè confirmatus, de quibuſcunque vexationibus ſtrenuè triumphavit, quem aliàs rerum cœleſtium aſſidua contemplatio, ſummè innocens corpus in ſervitutem redactum, incredibilis manſuetudo inque fratris aſperitate triennali ſpacio toleranda Chriſtianum animi robur, ſupra ætatem planè admirandum reddiderunt. Mox

Dei-

Deiparæ Virginis monitu , quæ divinum infantulum ei amplectendum porrexit , jam dictæ Societati JESU , ingenti plauſu tunc recens natæ , nomen dare conſtituit ; útque citiùs voti compos fieret , ſub habitu peregrini , licèt ab omni re , tam longo itineri neceſſariâ , imparatus , Romam properare contendit , à fratre citatis equis eum quæritante , divinæ gratiæ præſidio nequaquam agnitus , & rurſus à choro Angelorum cœleſti pabulo in via recreatus.

Paraphraſis.

QUid humana poſſit etiam in Juvene infirmitas, quando firmîs Divinæ gratiæ roboratur præſidiîs, luculenter ſuâ virtute exhibet mundo Stanislaus. O mirabilem gratiam gratiæ DEI! Suavis eſt inſtar olei, ut animum ſubeat; ſubtilis eſt, ut penetret; ſublimis eſt, ut attollat; modeſta eſt; ut deprimat; congrua, ut arbitrio voluntatis ſe aptet; blanda, ut delectet, potens, ut adjuvet. Plus dico: jam à prima infantia ſic aliquos delectat, ut perſuadeat: ſic perſuadet, ut vincat, ſic vincit, Deíque obſequio totos devincit, ut neutiquam cogat. Sponte induunt vincula, & cùm liberrimi ſint, delectantur ſervitute. Ex iſto, hominum dicam cœleſtium, an Angelorum terreſtrium genere Stanislaus fuit, quem Joannes Koſtka, & Margarita Kriska genuêre perveтuſtâ ambo, ac ſenatoriâ clari proſapiâ; ſed clariores antiquâ in DEUM fide. Amat DEUS Nobiles, & amari vult à nobilitate. Ut Nobiles haberet

Amo-

Amatores, creavit Nobilitatem, & ſolus amore Nobilium dignus eſt Nobiliſſimus DEUS: Nulla tamen inter nobiles Poloniæ familias plùs DEUM amavit, quàm Koſtkana. Cùm aliæ fidem DEO frangerent, & hæreſi ſe macularent, ſemper fida ſtetit, ſemper immaculata manſit Familia Koſtkana. Vix natus fuit Stanislaus, omnes illum Mundi gemmam dixêre, quòd ex Matre Margarita ortus eſſet. Semel hæc Staniſlaum peperit, ſed diu parturiit, formavit Stanislaum intra ſe hominem: extra ſe finxit cœlitem. Secundavit pium laborem pjiſſimus Deus, & Mater ita ſecunda fuit, ut Filius evaſerit Margaritæ ſimillimus, Cœlo & Angelis pretioſiſſimus. Ne dubita, hujus Matris mortem in conſpectu DEI pretioſam fuiſſe: gemmea fuit; quia Margarita obijt; Æternitatis annulo matura, pòſtquam in Stanislao peperit Æternitati. Natus eſt Anno M.D.L. & exſpectavit medium ſæculum. Nempe cùm innocentiſſimus eſſet, in flagitioſum orbem egredi cunctatus eſt, maculari metuens. Naſci tamen voluit in medio

 ſæ-

ſæculo, ut, quod temporis, ſupererat, ſuâ virtute emendaret, & ſceleratum mundum unâ perſonâ ſanctiorem faceret. Natus eſt in frigido Poloniæ cœlo: igneo DEI amore plenus in caloris refrigerium locum perfrigidum ſibi elegiſſe cenſendus eſt. Erat tunc hyems ſumma, non tam temporis, quàm virtutis; tempeſtas perfrigida, quia ubique pietas algebat: hinc naſci debuit, qui ſuo calore foveret penè exanimem virtutem, & igne Divini amoris frigida mortalium corda accenderet Statim ubi in lucem prodiit, virtutes alendum ſuſcepêre; & vix unquam meliorem Alumnum ſortitæ ſunt. Nihil in illo præter ætatem, unquam puerile. Peccatum jam oderat, antequam per ætatem nôſſet. Talis omnino fuit S. Staniſlaus, Cracovienſis Epiſcopus, dum adoleſceret. Sola ætas utrumque diſcriminat. Si ambo ſimul vixiſſent, vix utrumque diſtingueres. Ut ſimiles fuiſſe credas, utrique lethalis noxæ tantum in eâ ætate odium fuit, ut ſi alterius morte ſcelus extinguendum eſſet, hæc ſola inter eos fuiſſet contentio, uter

 prior

prior occumberet: ætate creſcente crevit Stanislaus morum ſanctitate, & ſuaviſſimam diffudit vitæ exemplaris fragrantiam, maturè Christi bonus odor futurus, qualem lilia ſpirant. Audi exemplum ſine exemplo. Hoſpitaliſſimus Pater magnificè ornatéque hoſpites tractaverat; cùm uni aſſidentium excidit verbulum Veneri amicum: & Ecce! Stanislaus ad impudens dictum pudore ſuffuſus, ſellâ excidere, & inter carnales homines penè ſpiritum perdere cœpit. Adeò fœdùm oluit puriſſimo Juveni, quicquid impuros amores oluit. Toto tempore, quo domi vixit, aliud non egit, quàm quod ipſa virtus ageret. Accepit ipſe à claro genere claritatem generis, ſed clarum genus à virtute Stanislai longè clariorem accepit ſplendorem. Illuſtri virtutum luce patriam fecit orbi illuſtriſſimam; quia exemplô ſuô docuit, Poloniam non modò Regum, ſed & Sanctorum fœcundam eſſe.

Tam copioſa lux nec potuit, nec debuit natalis ſoli limitibus diu contineri. Ut pluribus effulgeret, ad condiſcendas literas aliò miſſus eſt Stanislaus, in arte aman-

amandi DEUM jam Magiſter. Quæ olim magna futura ſunt, plerumque difficilis partûs ſunt. Bona citò excocta, citò pereunt. Pretioſi uniones à diuturno puerperio commendantur. Adamantes improbô ſpatiô ſudantur à cœlo, & ſæculô opus habent, ut ritè gemmaſcant. Velut natura, ita Divina Providentia lentè fertur, & ſua artificia tardè molitur. Societas JESU, una ex gemmis Rationalis Pontificij, pluribûs ſæculîs indiguit, ut orbis indigentiæ poſſet ſuccurrere. Qui tempora natæ Societatis novit, fateri debebit, opus fuiſſe maturo Heroë, ut pronæ in lapſum Eccleſiæ opem maturaret. Gemini transfugæ, Ignatius à Bello, Lutherus ab Eccleſia Ignatius converſus, Lutherus perverſus, eodem tempore rem optimè, ac peſſimè geſſerunt. Quod Lutherus deſtruxit, Ignatius extruxit, à caſu Lutheri inclinata, à lapſu Ignatij erecta eſt Eccleſia.

Audiit Auſtria, Orbis Chriſtiani fundamentum facta, ne ſub imbecillis aliorum humeris fractus illabatur; Audiit Auſtria, vulneratum Ignatium deſperati ſæculi vulnera curare, & claudo licèt

pede contra fidei hoſtes rectà incedere. Audiit, Ignatij Socios uſque ad ſanguinem pugnare pro Eccleſia; nec Societatem, quæ ad purpuras ſpeciali voto erubeſcit, alterius purpuræ ambitioſam eſſe, quàm quæ Sanguine pro DEO fuſo decorè pingitur. Audiit hoc Auſtria, & Societatem JESU in armorum Societatem advocavit, ut domi foriſque contra fidei hoſtes feliciùs decertaret. Regebat ſapientiſſimè imperium, qui piiſſimè ſeipſum rexerat Ferdinandus, ſucceſſu potiùs, quàm nomine ſecundus; corruptô ſæculô, ipſe propè ſolus integer, & tam ſolidi pectoris, ut neſcias, quid amârit præter DEUM, quid timuerit. Munificus ille in omnes, hoc eſt, Auſtriacè dives, ſuum palatium conceſſit in uſum Nobilis Juventutis, ne inter cives hæreſi infectos luem attraheret. Noverat liberalitate noſtrâ provocari DEUM ad ſuam; Religionis amatores viciſſim à ſuperis amari, protegi Protectores. Et verò, dum ſua dedit, plura recepit, hominum amores, Cœleſtium favores, domi foriſque glorioſus. Foris vincebat hoſtes, propitiô

cœ-

cœlô uſus, ut ſciretur, cui ille, & quis ipſi in cauſa DEI militaret. Domi in erecto Nobilium Seminario nobiles pro Eccleſia parabat heroës; & tantus erat florentiſſimæ diſciplinæ odor, ut in omnem latè orbem diffunderetur. Etiam Poloniam penetravit, & Joannem Koskam tam ſuaviter affecit, ut Paulum, & Stanislaum geminos florentis familiæ floſculos, Viennam miſerit, in dicto Nobilium Seminario plantandos, rigandósque.

Transplantatus Viennam Stanislaus ad ingenij culturam ſe vertit, & humaniores addiſcere litteras aggreſſus eſt, quæ viciſſim ab humaniſſimo juvene gaviſæ ſunt diſci. Ingenij pernicitate docentium induſtriam prævenit. Vix ulli in literis fuit ſecundus. In virtutis ſtadiô ſemper primas tenuit, quam cum ſcientia maritavit, innocentiſſimô conjugiô, quia parem cum pari, Virginem cum Virgine copulavit. Tredecim annorum adoleſcens erat, cùm ſcientiarum rudimenta addiſceret; ſi tamen Adoleſcens dici poſſit, qui brevì tantos in virtute progreſſus fecit, ut creſcere non poſſe

videretur. Nominativum, ſeu Rectum ſemper adhibuit, & nihil unquam in rebus aut verbis obliquavit. In Primitivis primam poſuit curam, omnia ad primum Principium referendo. Nunquam ea, quæ derivata ſunt, ſibi pro fine ſtatuit, ſed eò refundi univerſa voluit, unde effluunt. Illa duntaxat participia magni fecit, quæ partem habuere cum DEO, ac virtute. In ſuprema Grammatica optimam ſemper cum Verbo fecit conſtructionem. Poëta fuit fictus, & factus, fictus ſine omni fictione, fingebat condiſcipulos ſuos, faciebatque non Virgilios, ſed Virgineos Poëtas. Totus DEO illigatus artem ligatam profundiſſimè calluit. Ex Humanitate ad Rhetoricam humaniſſimus tranſijt, ab arte ad artem, à virtute ad virtutem; ea in claſſe cæteris diſertior, quia innocentior. A Verbo Incarnato, quod ſub Pane Euchariſtico abſconditum identidem accedebat, & omnem doctrinam attentè excipiebat, adeò inſignis evaſit Orator, ut ipſi etiam DEO perſuadere poſſet. Ita Viennæ intra quatuor annos gradum non tantùm ſcholæ, ſed ſum-

mo

mæ virtutis nactus eſt, dubiúmque reliquit Minervæ Proceribus, majúsne decus Stanislaus à ſapientia, an hæc ab illo acceperit.

Illud inprimis Viennæ didicit, more Auſtriaco *Cibum fortium* venerari, cujus virtute maturè uſus, per calcatas mundi inſidias in altum ad virtutem eniſus eſt. Quàm prodigus pecuniæ in pauperes, tam avarus fuit DEI, tenáxque recti, nunquam divinô conſortio ſatur. Aſſiduus templorum non hoſpes, ſed incola, avelli vix poterat à ſuo dilecto, pridem à rebus terrenis avulſus. Rectè vocari poteſt unus ex ſexaginta Fortibus lectuli Salomonis Cuſtos, Chriſti nempe Euchariſtici, cui inter Aulicos Angelos ipſe Angelicus Aulicus eâ reverentiâ ac pietate adſtitit, ut ex duris etiam ſilicibus, ſuper quos flectebat, vel pietatis ſcintillas elicuerit, vel iiſdem indiderit. Adeſte humanæ Venuſtatis Aucupes, & melioris vultûs cenſores vaniſſimi, qui in templa & ſacras ædes ad venationem pergitis, ut emiſſariîs oculîs laſciva Veneris Idola inveniatis: adeſte, & à Stanislao diſcite, quâ oculorum

corporiſque modeſtiâ modeſtiſſimo, Deo-Homini inſervire oporteat. Singulari humanitate ſuâ Stanislaus ita placuit Humanato Verbo, ut, tametſi erga reliquos omnes in ſublimi illo Sacramenti Arcano pro incognito ſe gerat Fidei noſtræ Princeps, retrò cortinam panis abſconditus, Stanislao tamen ſe exhibuerit quaſi manifeſtum.

Qui ſine Deo Euchariſtico vivere non poterat, etiam mori non volebat Stanislaus. Legerat ſanctæ Barbaræ, Virgini minimè barbaræ, quòd vitam immanitate plusquam barbarâ ab ipſo Patre ereptam, pro DEO fortiter dediſſet, hoc privilegium obtigiſſe, ut Pane fortium roborati iter æternitatis ingrederentur, quibus hanc gratiam fortiſſima hæc Martyr peteret. Ut illius favorem ſibi conciliaret, exhibuit illi ſpecialem amorem. In Sodalitio ad illius honorem Viennæ erecto agebat Sodalem ferventiſſimum. Sæpius ad illius aram viſus eſt flectere, ut in ſua vota hanc cœlitem inflecteret. Commota ſunt viſcera miſericordiſſimæ Barbaræ, & invocata ſupplicis Stanislai audiit, implevitque vo-

ta.

ta. Imò cum magna peteret cliens, maxima præſtitit Patrona.

Ardenti Amori in Filium junxit filialem amorem in Matrem. Corde & ore benedicebat illi, cui benedixit Pater æternus, cùm Deiparam fecit, & Verbi Increati Pater Matrem eſſe voluit Verbi Incarnati. Princeps ferè corporis humani membrum eſt cor. Primum vivit, ultimum moritur; Ad illud ſanguis confluit, ab illo effluit. Ibi ſedes ſpirituum; inde diſpenſatio influxuum. Caput Eccleſiæ Chriſtus eſt. Cor Eccleſiæ MARIA eſt. Hæc gratiarum canalis, effluxus favorum. Ad illam confluit, quidquid ſelectum eſt. Ab illa effluit, quicquid electum eſt. Stanislao nihil magis cordi fuit, quàm iſtud cor Eccleſiæ. Citiùs cor de corpore ipſius tuliſſes, quàm Mariam de ipſius corde. Cor Stanislai, (vivum Mariæ Horologium) ad ſingulos pulſus ſuſpiravit Mariam (cor Eccleſiæ) amavitque. Sæpius ſinceriſſimo affectu inauditam huic Virgini fœcunditatem, & ſtupendam Societatem gratulatus eſt. Sæpius hanc Matrem cum Virgine maritatam

ſine Marito, non ſine Conjuge ſuaviſſimè veneratus eſt. Sæpius illibatum illius conceptum acriter defendit, dixitque, nihil eſſe magnæ Matri optabilius; nihil Filio eiuſdem honorificentius, quàm Mariam antè DEO vixiſſe, ac ſibi; antè animo perveniſſe ad cœlum, ac tangeret terram; antè divinum accepiſſe Spiritum, ac humanum; antè ad ſuum Conditorem, quàm ad ſuum corpus acceſſiſſe. Hinc applaudebat ſpecioſæ præ Filijs Hominum, non quòd maculam non habeat ampliùs; ſed quòd nunquam habuerit.

Ut apud Matrem Gratiarum magìs gratioſus fieret, illibatum illius Conceptum illibatîs moribûs venerari allaboravit. Et verò etiam dici poteſt Stanislaus Virgo immaculata, non quidem ſine labe Originis concepta, ſed citra nævum Virginitatis DEO accepta. Digna ſanè gemma Sponſi immaculati annulô. Ut huic gemmæ nitorem ſuum ſervaret tectum, ſartúmque, arctiſſimam ſenſuum cuſtodiam adhibuit. Quando in publico proceſſit, ipſa Modeſtia iter facere videbatur. In neminem defixit

ob-

obtutum; omnes in illum: quot eum videbant, ſuſpiciebant, & Virginum ſpeculum deprædicabant. Sermo illi fuit ſilens, & ſilentium loquens. Dudum doluit, quòd Venus omnes alios colores habeat, & ſolo careat rubore. Hunc ut à ſuo ſaltem ſanguine acciperet, innocens corpus adeò diriter flagellis caſtigavit, ut copioſum proliceret cruorem. Ad Virgineum hunc colorem impudica erubuit Dea, & ſe illicò proripuit; ne victa abiret in pudorem. Fugientem perſequi perrexit Stanislaus, útque niveum caſtitatis lilium altiùs efflorerer, ſpinarum ſatellitio illud ſepſit, dum acutô ciliciô artus innocentes circumdedit, verè lilium inter ſpinas. Certè quæ viros, & heroës riſit, nunquam ad hunc Juvenem propiùs accedere auſa eſt Dea Volupia, ne ſaucia, cruentáque abiret. Ad menſam quod attinet, magis vixit cibo cæleſti, quàm terreſtri; ita comedere ſolitus, ut orexin potiùs concitaret, quàm reſtingueret. Etiam à veſtitu pretioſo abhorruit, ne ſplendor attraheret maculam. Neglectam babebat munditiem corporis; ſed

ſed animum ad omnem elegantiam virtutibus exornabat. Etiam brevi ſomnô, & durô gaudebat ſtratô; quia tutus jacet pudor, bellátque in tali grabato, qui in molli roſeto faciliùs emollitur, ac debellatur. *Ita* nullus unquam apud hunc caſtiſſimum Juvenem fuit dies Veneris; omnes erant dies Dominici, Domini ſervitijs conſecrati. Huic uni ſubjectus, omnia terrena pedibus ſuis ſubjecit. Ita Virgo permanſit Stanislaus, & quidem fœcundiſſima, quia ſuô fragrantiſſimô exemplô plures liliatos Eccleſiæ progeneravit Filios. O Virtus ac Victoria, digna immortali Laureâ.

Sub iſtud tempus grandis turbo Stanislaum concuſſit, ſed non excuſſit. Dum ille tam amœnùm floret, Viennenſe viridarium rurſum repetitur, & mutatur in Auſtriæ Palatium. Flores ferè omnes præſens perdendi viroris periculum ſubeunt, niſi apertum conſtantis virtutis periculum faciant. Plerique apud cives hæreticos coguntur divertere, & damno ſuô diverſorium inveniunt. Illud Stanislaum pietatis

exer-

exercitiſs addictiſſimum maximè exercuit, quòd liliorum candori peſtifer eſſet Lutheri halitus. Acceſſit, quòd Frater major in privata domo dominari avidus; vivendi modum in Fratre minore & verbis & verberibus ſine modo caſtigârit. At verò Stanislaus, quanquam ſemper agitatus, nunquam ſe commotum oſtendit, ſed audaces Fratris injurias in magnitudinis ſuæ argumenta convertit. Dum crinibus raptatur, fortiùs DEO illigatur, & dum domeſticis damnatur tenebris, clariùs Divinum lumen videt, in quovis angulo Angelus. Alij ſæpe ærumnas incurrunt inviti, quas ſtudioſè fugiunt delicati. Talem Stanislaum ne puta. Divaricatâ veſte aperti erga ærumnas pectoris fuit, & majorem ipſis jannam reſeravit, ut cum toto apparatu ad ſe intrarent. Ringitur, ac prope rumpitur furore Paulus; non infringitur virtus Stanislai. Adamas eſt, qui non diſſilit adverſorum ictibus, in officina & incude Cœleſtium amorum induratus. Creditur Adamas ſanguine hircino ſolvi poſſe: Stanislaus Agni Divin

vini ſanguine purpuratus, non cedit diſſoluto Fratri, ſed validior, ſolidiorque evadit. Imò non contentus vexari à Fratre, etiam ipſe ſuum corpus vexare, & variîs aſperitatibûs debiles vires atterere perrexit.

Ita factum, ut rigidus Frater, rigidior ſibi Stanislaus miſerum corpuſculum eò redegerint, ut penè in mortem obrigeſceret. Septem integros dies noctéſque Moderator Pilinskius timuit, ne ſpiritus integerrimus ad ſpiritus cœleſtes abiret. Et tamen Stanislaus nunquam generoſior ſtetit, quàm ubi decubuit: nunquam fortiorem ſe exhibuit, quàm ubi fractîs viribûs defecit. Specta ſis heroicum ſpectaculum. Uſus ea occaſione Diabolus, Mendaciorum Faber, ingentem moloſſum mentitur, & apertis faucibûs famelicus lectum aſſilit, ut bolum pretioſum deglutiat. Omnia in hoc monſtro fuêre horrenda; & tamen Stanislaus nihil horruit; imò eſurienti, etiam bolum objecit; ſed quem digerere non potuit: nempe durum lignum Sanctæ Crucis, quà ſe æger munivit, & invalidus valentem rejecit.

Tor-

Torquet hic cibus Sathanam, & vindictæ cupidus, alterum tertiúmque aſſultum tentat. Sed objectô iterum iterúmque Crucis ſignô, velut baculô percuſſus; fugam arripit, & infirmo Fortis Armatus porrigit palmam. Sic imbecillior Dæmon eſt, quàm exiſtimetur. Non niſi debiles aggreditur, ipſe debiliſſimus. Non niſi volentes vincit, toties victus. Si quandoque cum fortibus committitur, ſub pedibus volvitur. Mediocris pugil adverſario ſufficit. Hodie ab ægroto juvene ſuperatus eſt. Abiit, erupit, exceſſit, evaſit Canis Stygius, poſtquam jentaculô tam inſipidô exceptus fuit. Non malè egiſſet Stanislaus, etſi Religioſum (ùt ajunt) Dæmonem, ſæpe in Angelum lucis ſe transformantem, ligno crucis percuſſiſſet. Nihil in Eccleſiæ Canones impegiſſet. Qui Diabolum percutit, ſuadente Diabolo non percutit. Mirata Victorem Clientem Sancta Barbara cœlo deſcendit, útque vires pugnandô laſſas Stanislaus reficeret, Panem Fortium per Angelos miniſtravit, & haram Lutheri commutavit in aram Chriſti.

Ad-

Advenienti ſupremo Domino ſurrexit in lecto æger; ter humili voce pronuntiavit: *Domine, non ſum dignus.* Et juſſit, adſtantem Moderatorem venerari Hoſpitem, quem non videbat.

Hunc Cœli favorem excepit alius. Ipſa Angelorum Regina ad Angelum terreſtrem inviſit, & pretioſiſſimum Cœli terræq; depoſitum, Chriſtum Parvulum, in manibus parvuli Stanislai deponit. Omnia ferentem ſuis fert brachiis Stanislaus, acceptúmque in carne humanâ eum, qui magnus in ſe, parvus in Puſione, minimus in forma ſervi eſt, pectori ſuo apprimit ſcrutatorem cordium. Divinæ ſpeciei hæret immerſus totus, totus propè cum DEO oculus. Graviſſimi momenti tractant negotia, & neuter ſe movet. Plurima invicem credunt arcana, & neuter loquitur. Quis dubitet, gigantea brachia ægroto eſſe parvulo, cùm illum ſuſtineat, qui orbem univerſum ſuſtinet? Validiores à cœlo vires accepit, quàm Atlas à commentis veterum. Atlas ſub ingenti mole Cœlorum ſudavit: Stanislaus citra laſſitudinem Cœli Creatorem

por-

portavit. Imò illi Chriſtus gravamen non fuit, ſed levamen. Oneri non fuit Divina hæc ſarcina, ſed honori. Jucundiſſimum colludentium Parvulorum ſpectaculum ultrà ſpectare non potuit Divina Mater verita, ne magnitudine dulcedinis oppreſſum Stanislai corpuſculum fatiſceret, & per rimas magnus Spiritus exiret. Igitur depoſitum ſuum repetit, & tandem ægrè reddit ægrotus, omnino negaturus, ſi citra noxam perfidiæ potuiſſet negare. Ita redditus eſt Mariæ Filius, Maria Filio. Sed, dum Filius ſalutis Authorem è brachijs ægroti aufert, ſalutem relinquit ægro, útque Stanislaus ſemper obſtrictus maneat cum Parvulo JEſu, jubet in diſceſſu, ut ſe votis Religioſis obſtringat in Societate JEſu.

Non facilè alio fulcro vacillantes ægroti vires meliùs fulciri poterant. Surgit ſe ipſo vegetior, & rectà properat ad Laurentium Magium Societati in auſtria præpoſitum. Huic ad pedes advolvitur Eques Polonus, & ſummâ ſui demiſſione admiſſionem petit inter Socios

JESU. Probat, amátque orantem Magius; ſed orationem non exaudit, veritus, ne ſi viam pandat ſupplici ad Societatem, Societati viam claudat ad Poloniam. Ne deſolatum dimittat, magnîs ſpebûs erigit, aítque hoc negotium facilè confectum iri à Caniſio Germaniæ ſuperioris Præſide. Inquietus Stanislai fervor his promiſſis acquieſcit, & animum aliàs Societati devotum novô votô firmat; ſcilicet tamdiu ſe velle in mundo exulem peregrinari, donec optatam in Societate patriam inveniat.

Cœleſtia lumina, quibûs ſub id temporis in obſcura Hæretici domo copioſè illuſtrabatur, hoc deſiderium magìs accenderant; & quæ maximè impedita videri poterant, velut expedita Stanislao apparebant. Clam Fratre, Moderatore, Domeſticis fugam adornat, illuſtre ſtemma obſcuro habitu tegit, litterîs ad Caniſium à Magio, viribûs inſtructus à cœlo, Viennâ exit, & in Germaniam Superiorem aſcendit, qui dudum aſſueverat in via virtutum aſcendere. Iter ingreditur pauper & dives;

pau-

pauper terrenîs opibûs, dives animi bonîs. Divitiis inops, inopiâ dives. Nihili facit omnes inopes hujus mundi opes; ridens deſpicit omnia, quæ affluunt, & effluunt, veniunt, & abeunt.

Interea Paulum adverterat abſentia Fratris & de nimio ſibi rigore ſuſpectus, varia de Stanislao ſuſpicabatur. Intellectâ fugâ veredarios equos conſtituit, ut conſtitutum in fuga peditem faciliùs aſſequatur. Et Ecce! Inſequentibus jam occurrit Stanislaus; ſed Nobilis Erro facit hos omnes errare: nondum noverant, Illuſtrem Juvenem ſub obſcuro veſtitu latere poſſe. Pergunt uterque cœptum iter proſequi, & rurſum manſueto agno proximus imminet furibundus Leo, ſed ſplendor virtutum, qui ex humili fugientis habitu copioſus erupit, equos excæcat. Hi conſternati curſum ſiſtunt, ne Stanislai curſum impediant. Multùm itineris confecerat obediens DEO Stanislaus, donec inobedientes equos ad officium inflectere potuit Paulus, ſui dudum officij obli-

tus. Heu! quid fiet miſero Stanislao? rapidus fluvius obſtat à fronte: rabidus Frater inſtat à tergo. Hem prodigium! Angeli cœleſtes levant terreſtrem, & veſtigió ad aliam ripam ſiſtunt, ut viam proſequi, & veſtigiîs Chriſti Domini inhærere poſſit. Vidit, & teſtatus eſt prodigioſum tranſitum Propnicius tunc Pauli, deinde in Seraphica divi Franciſci Familia DEI Famulus. His periculis defunctus Stanislaus pergit novum ſuæ conſtantiæ periculum facere, & omnibûs incommodîs Superior Germaniam ſuperiorem alacris petit. Lectum dat nuda humus: ſemper humilitas humilem amat humum. Potum dat frigida, temperando cordis calori peropportuna. Etiam mucidi panis fruſtillum eſt ſplendidum, & quaſi peregrinum Nobili peregrino prandium. Paulatim tamen debile fit corpus; ſed ſolam animi debilitatem, utpote qui diutiùs carere debuit cibô ſuô, Ferculó Euchariſtico, amarè conqueritur Stanislaus Vix ſua deſideria explicuit, deſideratum obtinuit, & per Divam Barbaram

Ag-

Agno cœleſti paſtus, refectúsque eſt. In fortitudine hujus cibi ambulavit fortis, & Auguſtiſſimum ſecum ferens feliciter Auguſtam tenuit. At verò Auguſtæ nihil Auguſti reperit, quia Caniſium non invenit, quem ſolum æſtimaverat. Abiit Auguſtâ plenus anguſtiis & properavit Dilingam. Ibi tandem, longiſſimum iter abſque menſura amoris emenſus, Caniſium invenit, & ſupplex obteſtatus eſt, ut ſe in Societatem, quam unicè quæreret diligerétque, Dilingæ admitteret.

PARS II.

ITER ROMANUM, TYROCINIUM ET MORS

S. STANISLAI.

De hoc Benedicto Juvene Benedictus XIII. in ſua Conſtitutione ſic ore ſacro pronuntiat.

ALiquandiu in famulatu Seminarij Dilingenſis in Diœceſi Auguſtana, tanquam religioſæ vocationis experimento, commoratus, Romam tandem per via-

viarum ambages & vitæ diſcrimina ingreſſus, ínque tyrocinium Societatis JESU à beato confeſſore Franciſco Borgia, tunc Præpoſito generali, admiſſus eſt, ubi nullis ſuorum minis perterritus, in omnium Chriſtianarum virtutum agone ſe veteranum DEI militem ſpectandum exhibuit, à perſpicuæ pietatis viris, intérque hos à beato confeſſore & pontifice Franciſco Saleſio, ſingulari præconio cumulatus. Deiparam virginem, ùt dulcem patronam ſuam maximo ſemper cultu obſervavit, tantóque divini amoris æſtu ardere viſus eſt, ut brumali tempore pectus linteis frigidâ aquâ conſperſis madefaceret. Morbo demum levi correptus, vehementíque DEI amore inflammatus, in ejus ſinum

translatus eſt anno reparatæ ſalutis MDLXVIII. die feſto, ut prædixerat, Deiparæ Virginis in cœlum aſſumptæ, XVIII. Kal. Septembris, anno ætatis XVIII. regularis tyrocinii menſe decimo.

Paraphraſis.

DUm Stanislaus ferventer deſiderat recipi, non recipit Caniſius, ut deſiderium magis acuat. Duris exercitum etiam ipſe exercet & Nobilem Polonum jubet in Convictu Dilingano agere ignobilem ſervum. Humile officium cum gaudio acceptat humillimus Juvenis, operam navat coco, cùm cibos coquit, & coctos offert Academicis, cùm menſæ aſſident, ut famem ſedent. Cùm coquus cibos, virtutem condiebat Stanislaus, probè gnarus, quid ad DEI guſtum faceret. Deinde fuligo culinæ quadrabat optimè, ut quòd unicè avebat, generis ſplendorem, vitæ probitatem obſcuraret. Difficile non accidit, prandentibus ſervire, cùm cibo cœleſti ſatur, terrenum non appeteret.

Etiam muſica non defuit; quoties Stanislaus inſerviit. Suaviſſimâ modeſtiæ, affabilitatis, & humanitatis harmoniâ aſſidentes mirificè exhilarabat. Id unum fuit incommodum, quòd ſem-

per famelici è menſa ſurrexerint; quia aſpectu Stanislai nunquam ſatiari potuerunt. Tam alta omnium de humili Mediaſtino fuit æſtimatio, ut in illo non ſervum, ſed dominum, non hominem, ſed Angelum agnoſcerent, & poſt odorem virtutum alacres currerent. Doctorem Academiæ agebat Stanislaus, qui nondum diſcipulum egerat. Ajunt, generis ac vitæ ſplendorem etiam in culina latere non potuiſſe, ſed prodigiis fuiſſe proditum, quòd caminus toto illo tempore fulſerit illuſtrior, non tam domeſtici ignis conſuetâ flammâ, quàm ſanctiſſimi fervoris ſcintillis, quæ ex pectore Stanislai continuò aſcenderant.

Poſtquam conſtantiæ ac virtutis periculum fecerat, novis periculis objectus, & à Caniſio Romam miſſus eſt, cùm judicaret, ſuaviſſimum hunc floſculum Romanæ deberi amœnitati. Igitur cum Jacobo Levantio & Raynero Leodienſi Stanislaus deſerit Dilingam, quam Academiam virtutum vel invenit, vel fecit. Romanum iter lætus proſequitur, ut votorum ſuorum obtineat terminum. Procedit

cedit non veſtitus purpurâ, ſed viliſſimâ peregrini amictus lacernâ. Cyclade tamen virtutum maximè conſpicuus fulſit cœlituum oculis. Procedit, non equîs aut procerum inſtructus carpentô, ſed iter arduum tenellus Juvenis pedeſtri itinere conficit, & magnificentiam eſſedi aureis cœlorum plateis reſervat. Ut majores de ſe ipſo diſcat reportare victorias, feſtinat Romam, quæ docet fortia agere, & pati. Erravi. Non pedes incedit, ſed vehitur Stanislaus, *ſede volante*, quia Aurigam agebat amor. Imò non tam vehitur, quàm gratiæ adjutus alîs volat, ut nova gratiarum chariſmata accipiat Romæ in ſede gratiarum. Nunquam humilitatis vallem deſerit, tametſi ardua montium tranſcendat virtus, memor, unde exierit. Eodem modo viator Stanislaus proficiſcitur. Dum alta petit, non alta ſpirat. Quô ſublimiùs aſcendit, profundiùs in ſe deſcendit, non ſocium itineris, ſed famulum ſe in omnibus exhibebat, qui plures ad obſequia famulos habere poterat. Sic de ſe infimè ſentiens ſupremam mundi

di urbem attigit, ut in vertice orbis ſupremum gloriæ apicem conſcenderet.

Romam appulſus in viæ termino decidit in lectulum ; quia in itinere toties aſcenderat. In hoc morbo pati occœpit, fortia deinceps acturus. Ægritudinis moleſtias pertulit forti animo ; patientiam didicerat à Chriſto patientiæ Magiſtro, à quo Viennæ viſitatus, ſanatúſque eſt. Verùm diu jacere non potuit, qui unicè deſiderabat progredi : refectis paulùm viribus ad Sanctum Borgiam, ſupremum Societatis Præſidem redit, & vota maximìs viribûs repetit. Franciſcus Borgia, priùs Aulæ miraculum, & miraculorum Aula optimè noverat, quàm fluxa ſit omnis mundi dignitas. Viderat vanitatem in mortua Iſabella, tunc non ampliùs bella. Non ampliùs erat vultus in vultu Iſabellæ, nec in tanta oris ſpecie ulla ſpecies. Vermium erat ſpolium, quæ paulò antè fuit mirum totius Hiſpaniæ ſpectaculum. Ex morte hujus Reginæ ſacratiorem vitam hauſit Borgia. Per oculos, quibûs corpus tabe diffluens curiosè aſpexerat,

xerat, non mors, ſed vita in ejus animum ingreſſa eſt. Ex fœtore cadaveris rerum cœleſtium perſenſit odorem. Ex forma informi aſcendebat ad formam immortalem; & in venuſtatem animæ deinceps inquirebat; quæ nullam admitteret corruptionem. Ita fœmina, quæ aliàs ſuo aſpectu procurat mortem, Franciſco peperit vitam: & quæ aliàs Magiſtra eſſe ſolet vanitatis, Borgiam docuit horrere vanitatem. Hæc cauſa fuit, ut Stanislaum facilè audiret, probarétque, quòd longiſſimum iter pedes ſuſceperit, ut fluxam brevémque vanitatem effugeret. Itaque piiſſimum Juvenem, qui JEſum jam diu habuerat Socium, inter Socios JESU recipit, Sanctus Sanctum. Non ſolùm bona, ſed longè optima fuerunt hæc Nova ferventiſſimo Societatis ac Cœli Candidato. Tripudians animô Tyrocinium exorſus eſt veterana jam virtute; Adoleſcens octodecim annorum; & octoginta palmarum Pugil. Ita mundanæ felicitati invidiam detraxit Stanislaus, ſuóque exemplò docuit, cel-

celſius quiddam ſupra Principum favores, & Aularum dignitates adoleſcere. Quod cæteri tam avidè rapiunt, ipſe ne quidem unquam quæſivit. Potiùs elegit humilia JESU ſequi veſtigia, quæ longè excedunt omnia terræ Regum faſtigia. Pauperem delegit vitam, ſed virtutibus opulentam. Maluit Regi cœlorum ab obſequijs eſſe, quàm ſereniſſimo Regi Poloniarnm. Reginæ terreſtris contempſit Ephebium, ut à Regina Cœleſti adſciſceretur in filium. Adeò peritus erat Stanislaus, ſi quisquam alius, Majore Orbis Pilâ ludere, eam à ſe repellendo, & totum mundum generosè calcando. Societatem felici omine ingreſſus eſt feſto Sanctis Apoſtolis Simoni & Thaddæo ſacro. Cum Juda Thaddæo erat ſtrenuus ſectator virtutum, & fideli ſermone atque exemplô Chriſtum prædicavit, quem Judas Iſcariothes, ſtudioſus vitiorum, perditiſſimo ore prodidit. Cum Simone ſe obſequentiſſimum exhibuit. Ubi vocantem Chriſtum audijt, illicò ei morem geſſit. Verbum ſequelam imperavit; Verbo protinus paruit. Ita obtem-

obtemperavit Spiritui Spiranti, uti navis obſequitur auræ impellenti Cœli Terræq; Princeps obediens fuit uſque ad mortem, & quidem mortem Crucis. In hac quoque Stanislaus diem extremum obire voluit, non ignorans regiam hanc eſſe viam ad ſuperos. Sub fortunatis Ignatij vexillis etiamnum tyro talem ſe geſſit, ut ipſa ſacra militiæ Rudimenta eſſent veteranæ victoriæ. Videbatur homo prorſus cœleſtis, in quo humanum nihil præter corpus, apparebat, corpus ſine carne, caro ſine corpore, ſpiritus in carne. Perſonatum Angelum crederes: Si enim Angelus in corpore inter mortales vixiſſet immortalis, Sanctiùs vix potuiſſet. In primo quidem Adamo peccavit Origine; in ſecundum vix unquam deliquit voluntate. Primum neceſſitatis communis erat; alterum gratiæ & prærogativæ ſingularis. Inde factum, ut de DEO ſic loqueretur, quaſi vidiſſet: de tribus Perſonis, quaſi ſingulas nôſſet: de Angelis, quaſi ſpiritus eſſet. Ingenerabat horrorem peccati, dum deſcribebat; amabiles red-

debat

debat virtutes, dum oſtendebat; Incarnati Verbi amores tam ſuaviter proponebat, quaſi vox Verbi. Teſte Cardinale Commendono, catenas loquebatur & linguâ Magnetem fabricatus, tam trahebat, quos volebat, quàm qui non volebant, hoc eſt, omnes. Miram ſermoni gratiam addidit mirabilis animi Demiſſio: gaudebat obſcuriſſimas induere chlamydes, ut generis claritatem faciliùs obſcuraret; & ideò præcipuè viſus eſt minimum Societatis Ordinem elegiſſe, ut ſummam humilitatem in eo profiteretur. Sed qui fugiebat honores, interceptus eſt ab honoribus, qui fugientes inſequi, & inſequentes fugere ſolent. Ad hanc Stanislai abjectionem ſe inclinabant Eminentiſſimi Eccleſiæ Patres, & magnos ſe putabant, ſi parvo Stanislao colloqui poſſent. Pluris ducebant hunc Novitium humilem, quàm maximos mundi Principes, arrogantiâ tumentes. Nunquam adeò celebris Mundo Stanislaus fuiſſet, nî latere delegiſſet. Major illi laus & gloria acceſſit ignoto, quàm ſi fuiſſet in publico.

Pri-

Primas tenuit prima omnium virtutum & Regina, Charitas DEI. Certè aut Stanislaus fuit ipſa Charitas; aut hæc tota in eum immigravit. Quàm ardenter dilexerit eum, à quo accepit, ut diligeret, cor Stanislai jugi ardore æſtuans affatim teſtatum fecit. Subinde in vaſtum adeò amoris incendium erupit, ut temperando ardori madida lintea fuerint adhibita, ne calor inteſtinus animam ſuffocaret. Sed affuſa aqua olei naturam induit; non minuit, ſed auxit ardores. Integer Oceanus extinguere non potuiſſet Charitatem. Aliàs amor igneus fores effregit, & carceris impatiens ore & corde ſibi exitum quæſivit ſcintillas ejaculatus. Ignis nempe amoris nullis poteſt concludi repagulis: Agit Belliducum more, quos in hoſtem rapit gloria. Hi per medios hoſtium cuneos viam ſibi reperiunt, aut faciunt. Non raro coactus eſt egredi cubiculô, & auram liberam arctato pectori quærere, ne corpore deberet egredi Spiritus, cœleſti amore expulſus. Hic amoris ardor etiam alas addidit Stanislao, ut in aëra ſubla-

tus, & mirâ luce circumdatus effulſerit. Talem invenerunt Lælius Sanguini, & Auguſtinus Mazzini, qui Vigiles ſunt additi, ut ſi flamma erumperet, opem & aquam ferrent. Commendat hunc amorem Franciſcus Saleſius, in arte amandi exercitatiſſimus. Quàm valde amaverit DEUM, probat liber Amoris Divini: aut dictavit librum illum Amor Divinus, aut ſcripſit, aut commodavit alas ſcribenti. Ad tam luculentas amoris flammas vidit Stanislaus etiam minimas animæ maculas, horruit, & maximum quotidie conatum adhibuit, ut continuas de ſeipſo victorias referret: cùm tamen non haberet, quod vinceret; quia erat piiſſimus. Non erraverit, ſi quis hunc Nobilem Poloniæ Equitem dicat ſupremum fuiſſe Magiſtrum Equeſtris, non tam Ordinis, quàm Virtutis. Nam eos ſtatim progreſſus fecit in ſtadio probitatis, ut primus omnium tulerit bravium. Eques ſine criſtis, mediocriter de ſe, altè de reliquis ſenſit.

Uti DEUM diligebat propter DEUM ardentiſſimè, ita connovitios propter

DE-

DEUM amabat flagrantiſſimè. In proximo diligebat illum, qui fecit Proximum; in eo, qui plaſmavit hominem, adamavit hominem. Nihil Stanislaum ſeparare potuit ab amore DEI: nihil ab homine facto causâ DEI. Quoties Apoſtolicos Sociorum in Indiis labores, & fuſum gloriosè ſanguinem audiebat, quaſi propinato generoſo hauſtu acriter invitabatur, ut tam bonæ Societati ſe jungeret, ut vitam pro eo poneret, qui prior poſuit in cruce. Cùm nullum tormentum vitæ innocentiâ mereretur, nullum etiam timuit, caſurus pro fide, non ceſſurus, Avebat magnopere ad crucem damnari, ut per gradus ſcalæ ad tormenta, per tormenta ad dignitatem aſcenderet *regnantis à ligno DEI.* Sperabat in membrorum diſtenſione virtutem magìs intendi, & à ſupplicij exaggeratione fortitudinem animi creſcere. Amplitudine pectoris menſus anguſtias corporis, majorem ſibi corporis molem optaverat, ut plura vulnera recipere poſſet.

Hos, alióſque favores ut faciliùs im-

petraret, ſingularis illi cura fuit, ut ſæpe ac ferventer oraret. Noverat, non eſſe difficilem in vota animi DEUM, ſi corpus in homagium reverenter inclinatur. Cùm deprecatio aſcendit, miſeratio deſcendit. Potens orationis machina, cœlum expugnat. Igneam fuiſſe Stanislai orationem, ab igne cœleſti inflammatam, teſtatæ ſunt flammulæ, quæ ab orantis corpore abſtiterunt. Ut adeò mirum non ſit, hanc orationem, libratam alîs flammeîs, nubes & cœlos penetrâſſe. Peritiſſimum credas ſagittarium: adeò dextrè vibrat jacula affectuum in cor Divinum. Hæc reflectuntur è cœlo in Stanislaum, ut vulnerantem vulnerent. Hæc vulnera poſt ſe traxêre dulciſſima illa deliquia, quibûs Stanislaus in terram pronus, ſupra terram raptus eſt, & cum Angelis ſui ſimilibus converſari cœpit in cœlo.

De Amore quid dicam in Virginem Matrem? Hoc unum fuit, quod nunquam oblíviſci potuit, nomen MARIÆ. Scivit illud, antequam aliquid diſceret:

Sci-

Scivit illud, poſtquam mundi totius immemor, oculos terræ clauſit, & cœlo aperuit. Noverat, Reginam Martyrum non aliâ coronâ, quàm Roſario delectari. Noverat fragrantiſſimas eſſe preces Roſarij, & odoris delicatiſſimi, quia ex roſis contextæ ſunt. Noverat cæterarum orationum, quas pij, ſanctique fundunt, Reginas quodammodo eſſe preces Roſarij, quia purpuram indutæ ſunt. Hinc illud ſolicitè agebat, ut hanc è roſis coronam ſæpiſſimè, & offerret Reginarum Flori, MARIÆ, quæ Roſa ſub Cruce fuit, & Sanguinem Filij ſui avidiſſimè imbibit. Interrogatus, quid de Roſario ſentiret, plenus odore ſuaviſſimo reſpondit voce dulciſſimâ, & ſupra humanam ſpirante, Roſarium ſibi eſſe chariſſimum, quòd ad Matrem ſuam chariſſimam ſpecialiter pertineret: Cœleſti huic Sponſæ proprium eſſe deliciari in hortis, & Roſis coronari. Apud omnes urgebat hoc obſequij genus: Nempe quia nubes ipſas hæ roſæ penetrant aculeis ſuis, & ſi cœlum clauſum ſtet, etiam perforant. Imò plurimis

pro medicina ſervierunt hi flores, & in aquam Roſaceam ſalubrium threnorum eliquati; integræ æternitatis malum perſanârunt.

Hic in Virginem amor, intra paucos menſes uſque eò crevit, ut abſque ſua Matre nec vellet, nec poſſet ampliùs vivere, orbus Filius. Imminebat Dies Sacra MARIÆ in cœlos aſſumptæ; & totus in eo fuit Stanislaus, ut ad Matrem ſuam aſſumeretur, ejúsque throno inter thronos Angelicos advolutus, ſolemne feſtum feſtivè celebrare poſſet. Ah Mater! (inter uberes ſuſpirabat lacrymas) digniſſima es ſedere in throno Sanctorum, quæ antè fuiſti Domini Ancilla. Digniſſima es circumdari ſole, ceu regia ſplendidáque cyclade, quæ Solem Juſtitiæ novem menſium ſpatio portâſti in utero. Meritò in tuo capite radiat corona è duodecim ſtellis contexta, quæ caput es hominum & Angelorum. Aquila fuiſti magnarum alarum: huic proprium eſt, ſolem æternum ſpectare. Stella fuiſti matutina: igitur in cœlo collocari debuiſti. Nemo invidum ter-

terræ cœlum dixerit : quod ſuum erat, rapuit. Imò terræ Beneficium contulit, quia beneficam terræ Patronam & Advocatam ante tribunal Divini Judicis ſtitit. Ah Mater! Mota es à mundo, ut DEUM in vota mundi moveres: Roga pro me, ut vivam apud te. Alijs per partes data ſunt chariſmata: tibi tota plenitudo gratiarum eſt infuſa. Et rectè: Matrem gratiarum omnibus gratiis amari decuit. Oportuit, ſingulare quidpiam habere eam Matrem, quæ Filium unum, eundémque cum Patre Cœleſti communem haberet. Inde eſt, quòd tibi Pater quandam, communicârit Omnipotentiam, ut plurima eáque ſtupenda in ſalutem mortalium patrares prodigia. Ah! Fac cum cliente tuo prodigium, ut proximo feſto videat in cœlo tuæ magnificentiæ miraculum. O Virgo Beatiſſima, ſpeculum ſine omni macula! cui ſuam ſpeciem ſolus impreſſit DEUS, & nunquam afflavit venenati draconis habitus, liceat intueri te, & in contemplanda hac pulchritudine abſorberi me! Ah Mater

ter pulchræ dilectionis! te deſidero, in te deficio.

Nunquam hæc vota fuêre calidiora, quàm feſto ardentis in craticula Laurentij. Sanctus hic pridie in Patronum Menſtruum ſorte obtigit Stanislao, & ſortem feliciſſimam attulit, quia mortem beatiſſimam nunciavit. Stanislaus venerabatur Laurentium, velut Sanctum verè excoctum, palato DEI gratiſſimum, ad guſtum ſuperûm, & ſupremæ præſertim Dominæ delicium; in quo calidæ naturæ Amor perfectiſſimum artificioſiſſimæ coquinæ ſpecimen dedit. Unde non dubitabat, Divum Laurentium, cujus virtus in flagranti deprehenſa eſt, & fragrabat, quamdiu flagrabat, apud Virginem ſuavis odoris, & nidoris amantiſſimam Patrociniô ſuô potentem, & Laureatum Advocatum eſſe. Hunc proin in accenſis prunis ferventem ferventer invocat, rogátque inſtanter, ut ad inſtantem aſſumptæ Virginis diem ſibi mortis beatæ gratiam exoret.

Viſus eſt Clienti ſuo exoráſſe Laurentius petitam gratiam. Ab eo tempore Sta-

Stanislaus tentari cœpit febriculâ corporis: Longè majori Divini amoris febris illũ concuſſit, paulò pòſt excuſſura animam. Brevi virtute conſummatus, etiam viribûs ſenſim conſumitur, non tam valetudine, quàm amore langueſcens. Sine tabo ſceleris paulatim contabeſcit, & maturitate morum decipit naturam, quæ provectiorem credebat Stanislaum, quàm eſſet. Errorem naturæ ſubdolè promovit Stanislaus, verus Iſraëlita ſine dolo; nam ratus, præcipuam Chriſtiani Equitis dotem eſſe celeritatem, feſtinatione virtutis mortem acceleravit. Acceſſit nova properandi cauſa: Inviſit ad ægrum non ſuis pedibus, ſed Mariæ manibus portatus, ſine onere, rerum omnium pondus, Chriſtus. Hæret in pulcherrima Filij ac Matris forma ſtantibus pio rigore oculis, Stanislaus. Mox præ gaudij inſolentia non jam ſuus, quia totus DEI, mortem cum imperio advocat, & etiam impetrat, clauſis in ſuaviſſimam mortem oculîs, conſpectô Deô vivaciſſimè inſeſſis. Quid mirum? cæcutit oculus à viſo ſole; eo conſpecto

lux omnis reliqua maligna eſt. Viſo DEO nihil deinceps videri in terris debuit; nihil melius potuit. Nihil ergo rectiùs agere potuit, quàm animam, inter virtutes ac cœleſtes divitias conſummatam. Porrò Stanislaum Cœlo maturum non ætas fecerat, ſed Amoris æſtas, quæ fruges horreo opportunas Menſe Auguſto elaborat. Nempe hoc egerat prudens Juvenis, ut modico tempore viveret quàm diutiſſimè. Ipſo Aſſumptæ in cœlum Virginis die, morte non abſimili, ſomno amoris placidiſſimo, obdormivit in Domino, & Domina. Qui Phœnicem mori poſſe, aut ſolere aſſerit, Stanislaum quoque mortuum fuiſſe, pace meâ dicat. Non inducar ego, ut hæc credam. Mortuus non eſt, ſed vivere deſijt. Aut ſi moruus eſt, ſaltem morbo non terreno, ſed cœleſti, febri Amoris, oculos clauſit, ipſe pupilla DEI. Obitus iſte Virgineus non fuit corruptio Vitæ, ſed generatio gloriæ, quàm in cœlo prodigioſam obtigiſſe Stanislao, multîs ſtatim prodigiîs teſtatus eſt DEUS.

Le-

Levis initiô viſus eſt morbus, nullâ gravi cogitatione dignus. Deſiit in febriculam, quaſi Laurentij Patroni ſui flammas participâſſet. Tertiana fuit, quàm die tertiâ mors eſt conſecuta, præter omnium exſpectationem, ſi Staniſlaum, excipias, qui mortem avidè exſpectavit, prædixítque. Hinc ignoſci ſibi ab omnibus voluit, qui neminem offenderat. Reum ſe dixit de violatis regulis, qui Regularis obſervantiæ regula fuit. Conſcientiæ rationes bis apud Confeſſarium eâ ſeveritate poſuit, quaſi peccator magnus eſſet: cùm tamen vix levem materiam inveniret, quâ purgari poſſet. Chriſtum in Euchariſtia, aſpexit ut præſentem, credidit ùt latentem, excepit ùt viæ ducem, adoravit ùt æternitatis Regem, humi abjectus, regnantem in ſublimi. Ut humillimo Juveni liceret emori humi, multîs precibus oravit Julium Fatium, & tandem exoravit. Rogatus, an parato animô DEUM evocantem exciperet? reſpondit: *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum*: Id demum Equeſtre ratus, ſemper accinctum itineri ſtare ad mortis nutum. Demum

mum inter ſuaviſſima JESU ac MARIÆ nomina dulciſſimè ingeminata Mundo mori, & cœlo vivere cæpit, non alio abſumptus morbo, quàm concitatæ virtutis defatigatione; neutiquam moriturus, niſi ita feſtinaſſet. Probatio, qua defunctus eſt; non fuit Societatis, ſed cœli, an illi in ſumma ætatis immaturitate ſatis maturus eſſet. Unò annò, eòque non integro, præter Societatis morem, quæ biennium requirit, contentus fuit JESUS, Societatis JESU Author.

Epi-

Epitaphii locô ſic habe.

Ades Viator
Ad Virgineum tumulum ;
Quo
Ipſa innocentia
Si mori eam contingeret ,
Cum delicio ſuo STANISLAO
Humari cuperet.
Omnes Equitis partes ſcitè explevit ,
Frænum & calcaria adhibere doctus.
Frænum adhibuit in voluptatibus ,
Calcaria in virtutibus ,
Illas , ut retraheret,
Iſtas, ut impelleret.
Parvus ætate Juvenis ,
Sed Urbani Octavi teſtimoniô
MAGNUS SANCTUS,
id eſt ,
Equitum Magiſter.

PARS III.

MIRACULA, BEATIFICATIO ET CANONIZATIO

S. STANISLAI.

Conſtitutio Sanctiſſimi Papæ Benedicti XIII. Circa præſentem materiam ſic habet.

MIræ inocentiæ adoleſcentis exuviæ biennio ab ejus depoſitione incorruptæ, ſuaviqúe odore perfuſæ ſunt. Poſtmodum triumphalem in cœleſti Hieruſalem ſervi ſui gloriam, quem piæ memoriæ anteceſſor noſter Paulus Papa V. beatorum numero adſcripſerat, DEUS miraculo comprobavit, dum Sigismundo Rege Poloniæ in Turcas, Chriſtiano-

ſtianorum cervicibus imminentes, bella Domini præliante, ſublimis in aëre viſus eſt Stanislaus in ſplendido curru cum Deipara Virgine & filio JESU; unde Polonorum animi in dubia certaminis alea viribus aucti, immaniſſimos hoſtes fuderunt, quo tempore adoleſcentis caput à felicis memoriæ deceſſore noſtro Gregorio Papa XV, in Poloniam miſſum, adventu ſuo victores populos novo gaudio cumulavit. His atque alijs, omnium Chriſti fidelium veneratione digniſſimis, per Stanislai preces apud DEUM editis ſignis, ſanctitatis ejus fama ubique diffuſa, apud Apoſtolicam Sedem exorantibus Poloniæ Regibus Sigiſmundo, Uladislao & Joanne Caſimiro, de eo ſanctorum Canoni adſcribendo actum eſt, præcipuè ſub

ſub Romanis Pontificibus anteceſſoribus noſtris Paulo V. Innocentio X. & Clemente X. quorum poſtremus ſacrum officium à Societate JESU, itémque à clero ſæculari totius Poloniæ, magníque ducatus Lituaniæ, certâ die de eo recitari auctoritate Apoſtolica indulſit, quod propriâ ſubinde oratione additâ, confirmavit alius venerandæ memoriæ anteceſſor Innocentius Papa XI.

Paraphraſis.

Corpus incorruptum.

QUanquam Stanislaus fuerit Phœnix Virtutum, nullos tamen poſt ſe reliquit cineres; quia manſit poſt mortem integer. Et quippeni poſt vitam remaneat integer, qui ſemper integer fuit in vita? Oportet corpus perennare in-

incorruptum, quod nulli unquam corruptioni fuit obnoxium. Qui terra nocere poſſit Stanislao, nihil habenti de terra? Angeli non ſubjacent corruptioni. Ignea calcis vis conſumit corpora humida: nullus unquam humor ſonticus fuit in Stanislao. Meritò calx reformidavit illius corpus corrodere, qui nullius famam roſit in vita. Igitur periit, non putruit Stanislaus: neque enim viva calx invenerat, quod in Virgine corrumperet. Nempe majoribus à DEO reſervata eſt uſibus illa calx, ut Stanislao inter Divos referendo pro extruendis magnificis templis materiam hodie præbeat. Interim calculô candido innocentiam defuncti probavit. Sed & innocentis Adoleſcentis Exuviæ, ſuaviſſimum exhalârunt à morte odorem. Bonus odor Chriſti vivus fuit, & mortuus. Demortua magnatum corpora balſamô condiuntur. Hac unctione non indigent ſacræ Stanislai exuviæ affatim unctæ ab integritate incorruptæ virtutis. Bene ſemper olet, qui vivens & moriens bene olet.

Victoria Polonorum
Contra Turcas,

FOrtiſſimo Hercule opus eſt, quoties immanis caudæ Hydra, Turcica potentia imminet. Graviſſima pernicies Regno Poloniæ impendebat, Regente Sigismundo. Turcarum imperator Oſmannus more diluvij, non jam aquîs, ſed procellîs militum omnem latè Poloniam inundabat. Quacunque tranſierat lanio, omnia humano cruore natabant, uti olim Noëmi tempore undis. Illud ampliùs, quòd pœnâ diluvij non contentus, igne quoque ſæviret, & non modò ardentem Pentapolin, ſed flagrantes Provincias in orbis theatro exhiberet, funeſtæ crudelitatis Choragus. Nihil propè jam uſpiam erat, pervagante hoc fulminè, niſi funus, & fumus. Ab urbium & pagorum incendio viſus eſt ambire claritatem nominis, quam non habebat à ſtemmate. Paſſim ferrum auro ſaginabatur, emptâ peculio pace, non redemptâ.

Au-

Auri fulgore excæcatus tyrannus, avarus juxtà, & prodigus, totius Regni poſſeſſionem licitari non deſtitit, ut ſub haſta ſua venderetur. Actum aliquibus de Polonia videbatur eo tempore, quò univerſa penè Turcia, ſedibus ſuis effuſa, tam denſum militem campis infuderat, ut humanis propè oculis ſubduxerit. In medio trepidantis Poloniæ periculo ſuæ fortitudinis periculum fecit Sigismundus, & palàm fecit omnibus, quòd magis generoſitate animi, quàm Regis tituló fuerit Auguſtus. Selectum collegit militem, & inundanti Turciæ aggerem ſe objecit, glorioſum ratus, ſi Religioni poſſet impendere ſanguinem, quem haberet ſuperfluum; contra Turcas præcipuè in quos crudelem eſſe, clementia eſt. Sed quomodo pauca millia integro ferè Turcarum millioni reſiſtent? Planè ruiſſet Polonus orbis, niſi ſæculi ſui Moyſen habuiſſet contra Amalecitas Turcas. Stanislaus is fuit, quem Poloni pavore commoti, cùm in hoſtes moverent, aëre ſublimem, eodem cum JESU ac MARIA curru equîs

albis invectum, & utrique pro Polonia ſupplicem conſpexêre. Sic viribus, non viris aucti, perſecutores DEI ac Regni ſtrenuè perſequuntur, & bonis avibus in terra pugnant. Nam precibus ſuis Stanislaus volanti plumbo alas addidit. Ipſe ignem nitrato pulveri, ipſe flammam tormentis è luce ſuæ gloriæ ſubdidit. Ipſe ſcopum ſclopis præfinivit, gloriam DEI, Eccleſiæ pacem, quo collimarent. Ipſe orator ad DEUM, Polonorum arma, & lacertos ſuſtentavit, ne macelli defatigatione torpeſcerent, ſed abſque numero Canes Odriſios Cerbero immolarent, ſanguinem, non offam cum eo ructaturos. Ita Religio de ſuperſtitione, ita pietas de impietate ad omnium ſæculorum celebritatem triumphavit. Quis neget, armatas fuiſſe preces Stanislai, quæ Turcas ſuperare poterant, armîs aliàs indomitos? Nempe uti MARIÆ Filius Exercituum Dominus eſt, ita illa eſt Domina. Caſtrorum Acies Ordinata ita habet Victorias in poteſtate, quàm poteſtatem in ordine. Quid mirum, ſi huic terrarum Im-

Imperatrici ſupplicârit Stanislaus, manus in pugnæ locum porrexerit, & Polonis quaſi ſignum ad manus conſerendas dederit? Certa illis contra Turcas Victoria eſt, qui MARIAM de Victoria propitiam habent.

Sed etiam illud ſpecialem memoriam meretur, quod Capitalis ab hoſte Victoria eodem tempore relata ſit, quo Divi Stanislai caput à Gregorio XV. ſubmiſſum, Polonis finibus illatum fuit.

Inſtantanea Sanitas
Annæ Theodoræ de Ligniville.

Dum Sanctiſſimus Pater ſuæ Conſtitutioni hæc verba inſerit: *His atque aliis, omnium Chriſti fidelium veneratione digniſſimis, per Stanislai preces apud DEUM editis ſignis.* ea potiſſimùm intelligit miracula, quæ in Decreto Clementis XIII. approbata continentur.

PRodigioſum chorum ducit Anna Theodora, præſenti beneficio ſa-

nata à deſperato maleficio. Erat clara genere, clarior virtute, & lilium, Galliarum inſigne, rarâ modeſtiâ exhibuit. Cùm per ætatem valere deberet quàm optimè, habuit peſſimè, & viginti quatuor annorum puella unius anni infantem ſuîs viribûs non æquabat. Omni pedum, crurúmque uſu deſtituta, aliorum manibûs inceſſit. Varij acciti ſunt medici; ſed nullus aptam ſciebat medicinam. Diverſa adhibita ſunt media, ſed abſque remedio. Quæ ægram à morte debebant liberare, pene morti tradiderunt. Sæpius conclamatum fuit de vita, &, ut æternùm viveret, Pane vitæ æternæ confortata eſt. Quatuordecim jam menſes hoc malum tenuit, & Theodoram inter graviſſimos dolores domi detinuit: cùm inexſpectatò adeſt Româ Frater Germanus, officiô Religioſus, conſiliô Medicus. Hic Religioſæ ſororis miſertus, Stanislaum miſeræ commendat, plurimîs jam beneficijs etiam contra veneficia illuſtrem. Addit pro munere, non ſine Divûm numine effigiem venerandi Juvenis, monétque ſolici-

licitè, Patronum hunc eligat, & ejus patrocinio plurimùm fidat. Hîs verbîs ægra in ſpem magnam erigitur paulò poſt erigenda in pedes. Petit, geſtatoriâ ſellâ ad Eccleſiam deferri, ut in domo ſalutis referat ſanitatem. Cùm Divinum officium peragitur, etiam ſuo officio ægrota non deeſt: ſuſpirat ardenter ad prodigioſum Stanislaum, & fidenter poſtulat miraculum. Res mira! finitô officiô ad ſuum officium redeunt pedes; domum pedes redit, quæ ad Eccleſiam portari debuit. Miratur Nobilitas Nobilem Patronum. Mirantur Medici, & ſalubrem medicinam cœlô adveniſſe omnes fatentur.

Repentina Sanatio

Andreæ Fauſti Unikowski, Monachi Ordinis Sancti Benedicti.

QUam dudum Sanctiſſimus Ordo Benedictinus à Societate meruit Benedictionem, per S. Stanislaum accepit, quando Fauſtũ Unikowski, Monachũ Benedictinũ,

 fu-

fauſtâ ſorte à morte eripuit, & toto fra-ctum corpore ſanitati integræ reſtituit. Per ſeptem menſes calidâ febri luctatus, ſpiritus omnes exhauſit, & ſola reſtabat anima, quam in momenta exhalare cre-debatur. Ne præ debilitate in via æter-nitatis deficeret, ſacrîs Myſteriîs providè communitus fuit. Fluxerat noctis me-dium, & penê effluxerat vita, cùm æger Thaumaturgi Stanislai meminit eo tem-pore, quo rerum aliàs omnium memo-ria ſolet perire. Cogitare de Beato Stanislao idem fuit, ac tota ſe mente illius patrocinio commendare. Vix votum conceperat, timorem concipit; nam Umbrâ mortis deprehenſus, ad pe-dem lecticæ umbram conſpicit. Ita territus, ad alterum latus ſe vertit, qui hactenus ſe movere non potuit. Miratur ſeipſum æger, & fauſtum tentamen non capit Fauſtus: Novum in brachio, deinde in pede experimentum capit, & advertit vigorem in membris, quæ priùs rigor mortis obſederat. Qui nondum potuit corpore, ſaltem animo exultavit, & ſum-mo mane pro ſumma gratiarum actione

Pa-

Patrem Romanum ablegat Caleſiam, ut ad aram Beati donum ferat, & ſacrum offerat. Eâdem horâ, qua Romanus miſſam legit, dimiſſus à morte Fauſtus, vires colligit.

Letho proximus lectum deſerit, linteo mortuali involvendus, religioſum habitum induit; & qui citato pede cucurrit ad tumulum, jam citatiore greſſu occurrit reduci Caleſiâ Romano Stupet Romanus ad inſperatum occurſum, quid ſperet, timeátve, neſcius. Cùm ſtupentem inclamat Fauſtus; me Fauſtum! Prodigium! non vides umbram demortui, ſed vivam imaginem tui Præpoſiti. Stanislaus Cœleſtis Medicus rebus deſperatis tulit remedium, & vires omnes momentò reddidit, quas morbi virus per partes abſtulit. Rei novitate ac beneficij magnitudine utriſque attonitis ſupervenit Medicus, qui è vicino iter acceleravit, ut vicinum morti Præpoſitum curaret ultimùm, & motu deſtitutum promoveret ad ſepulchrum. Dum ſanum valentémque conſpicit, penè ſpiritum ipſe perdit; vitámque prodigit in tanto prodigio. Re-

 ſum-

ſumptô animô operam jungit Benedictino Monacho; uterque benedicit Stanislao, & juratus affirmat in judicio, firmas vires naturæ, & collatum à Stanislao beneficium eſſe indubitatum, certiſſimúmque miraculum.

Inſtantanea Sanatio à Paralyſi P. Franciſci Xaverij è SOCIETATE JESU.

QUi currentem in Oriente novit Divum Xaverium, jacenti in occidente novit condolere Patri Xaverio. Indiarum Apoſtolus ita currebat, ut ipſe duobus mundis, non ipſi ſufficerent plures mundi. Apoſtolicus Nuncius creatus, non ſatìs celer ſibi viſus eſt, Si ſolîs pedibûs ad Indos contenderet: ſed conſcenſo æquore, remîs ac velîs ad animarum ſalutem properavit. Viſus pluribus ſimul in locis ſuſpicionem movit credulis, utrum non eſſet propè ubique. Cùm illi ſexageſimô poſt obitum annô integerrimum brachium abſcinderetur, re-

recenti ſanguine manavit, ut oſtenderet quod mortuus adhuc paratus ſit pro fide currere, pati, mori. Exemplô divi Cognominis, Apoſtolici Curſoris, excurrere deſiderat P. Xaverius; & paralyſi tam arctè conſtringitur, ut nec lectô movere ſe poſſit. Non poteſt inſiſtere pedibus, qui amplas provincias perambulare vult pedes. Non poteſt movere linguam; qui diversîs linguîs annunciare vult Evangelium Chriſti. Non poteſt levare brachia, qui elevatîs manibûs vult abluere parvulos, abſolvere pœnitentes. Deprehendit cruorem ſtagnantem in venis, qui ſanguinem ebullire vult, & pro DEI gloria omnem effluere. Tam dira paralyſis captivum tenet Xaverium, qui Divi Xaverij more ſtatuit mundum perambulando fugere, fugiendo lucrari. Hinc accidit, ut in corpore immobili jugiter moveretur animus. Nullibi minùs habitabat, quàm ubi jacebat. Ut ligatum corpus liberam animam ſequi poſſit, liberali devotóque affectu jam homines, jam ſuperos vocabat in vota. Homines, quam vo-

lebant-

lebant, non poterant ferre opem, ſed operam omnem eluſit pertinax morbus. Superi, quam poterant, non ferebant medelam; quia nolebant medicos agere. Quàm facilè fuiſſet impaſſibili in cœlis Xaverio, patienti in terris Xaverio ſuccurrere; cùm adhuc vivus in ipſa ſepulchra, & pacem manium ingreſſus, tumulos, ceu thalamos retexerit & plures expergefecerit ad vitam, quàm ulla ſors mater pepererit in mundum. Nempe Xaverius, aliique cœlites dudum apud homines glorioſi, hunc honorem Stanislao ceſſerant, ut facerent in terra glorioſum. Vix ad Beatum Juvenem ægrotus concepit fiduciam, ſuprà fidem eſt, quàm Beneficum Medicum expertus ſit. Abſque medicina fit malo remedium; repentè toto corpore abſcedit fatalis rigor, ſuccedit inviſo hoſpiti vitalis vigor; vegetus ac ſanus incedit Xaverius; quot paſſibus pergit, tot laudibus prædicat Thaumaturgum Stanislaum.

Alia

Alia quædam Miracula, in Conſtitu-ne Pontificia generatim tantùm conten-ta, breviter recenſentur.

SI numerum miraculorum quæras. Orbis provincias, & urbes numera: Exaltavit humilem Stanislaum DEUS, & qui coram orbe univerſo latere voluit, Orbi Univerſo miraculis publicum fecit. Cùm adhuc puer Elementarius DEO fideliſſimè ſubjectus eſſet: Hodie fidelem ab omnibus Elementis ſubjectionem experitur.

Inſtabile elementum ſunt aquæ: in has tamen ſtabilem Dominatum exercet Stanislaus, à ſupremo Aquarum Domino ſibi conceſſum. Poſonij decennem parvulum, Jarozinij ſexennem, in Palatinatu Lublinenſi Filiolam rapaces aquæ abſtulerant. Sed jubente Stanislao ablatos & vitæ & parentibus reſtituerunt. Andreas Fauſtus Unikowski, de quo ſuprà meminimus fauſta, in mari Adriatico infeliciter navigat: nam' Æolijs ſpiritibus tartarei ſpiritus fœderati, Æthereis undis æquoreas undas; Nocturnis

tene-

tenebris ſtygias tenebras ; fulmineis facibus Furiarum faces permiſcent. Quid ſperet infelix Fauſtus? Antiqui memor Patroni, oculôs in cœlum intendit, & Stanislai patrocinium implorat. Vix votum depoſuit, ponunt venti; cœlum placat Stanislaus, & humilitate ſuâ tumorem fluctibus eripit. Ad primum Stanislai verbum mare tranſit in malaciam; quia in illius pectore nulla unquam fluctuavit malitia.

In totum deinde aërem jus ſibi Stanislaus vendicat, quem Lublini, Warſaviæ, Poſonij peſtilentiâ putrem, virtutis ſuæ afflatu correxit, & purus ab omni vitio reddidit puriorem. Jam viginti novem, jam ſexaginta alij ſimul coram Epiſcopo jurati depoſuerunt, ſe à morbo contagioſo per Beatum Juvenem modo prodigioſo liberatos eſſe. Pariter terram ad nutum habet Thaumaturgus, & durum adeò elementum illius imperiô facillimè flectitur. Loquatur ipſa tot oribus, quot aperta ſtat hiatibus. Non paucos deglutiverat, ut ſuam & vermium famem obſonaret: ſed ad mandatum Sta-

Stanislai vivis reddidit vivos. Ita Divum Cognominem, Epiſcopum Cracovienſem, & morum & prodigiorum virtute fideliter imitatus eſt: nam & ille hominem jam trienniô antè vitâ functum ad vivos revocavit, ut, quam fidem integerrima Stanislai Præſulis fides facere nequiit Regi infido, perfidóque Boleslao, faceret rediviva è tumulo fides Nobilis Poloni.

Denique & ignem, generoſum illud ac procax elementum virtuti ſuæ ancillari docuit; ne altum deinceps ſaperet, ſed ad nutum alienum ſe demitteret. Ignis Pamphagus eſt, & totam Urbem Leopolim devorare voluit. Jam multas civitatis ædes corripuit, & plura ſemper pabula petiiſſet plena libertate, nî Stanislaus ſupra urbis portam præfulgidus apparuiſſet, & lautè prandentibus flammis dediſſet *Satìs.* Nec ſolùm ædes, ſed & homines ſibi in pabulum deſignavit famelicus ignis Sophiam Saroskam, Annam Tereſiam, Joannem Breskam ardentiſſimo calore penè vivos excedebat; cùm vident, invocatum Stanislaum ad pedes

des Divæ Virginis procidere ; & una edacem flammam toto corpore excedere. Magis tamen in eo thaumaturgus fuit Stanislaus, quòd malignum vitiorum ignem in pluribus extinxerit.

Non ſolùm elementa Stanislaum venerabantur; ſed omnes morbi hunc Archiatrum reverebantur. Anna de Floriano, & Juſtina Geldzina omni oculorum lumine privatæ, lumen corporis clariſſimum per hunc Medicum recepêre. Dolores oculorum in Simone, dentium in Primislao, defluxionum in Luavvio, Apoplexiæ in Stanislao, Ulcerum in Joanne, Anginæ in Nicolao, partûs in Anna momentô ita abſterſit, ut tranſfugæ morbi nullum fugæ indicium reliquerint. Ex alto in præceps ruebat Martinus Regis Caſimiri Medicus: res mira! invocaſſe Stanislaum, jam Sanitas fuit. Ut Chriſtiana perfectio ampliorem progreſſum haberet, multos claudos promovit, nihil lentum paſſus, etiam in pedibus. Ne ſurdis Evangelium Chriſti prædicaretur, etiam Acatholicos exaudijt, et aures captivas manu

mi-

miſit, ut Fidem acciperent ex auditu. Denium præclari Exorciſtæ munus etiam absque ordine implevit Stanislaus, quia ſæpius ex humanis corporibus malignos Spiritus ejecit. Solus apparentis in aëre Stanislai aſpectus abundè ſuffecit, ut Monſtra hæc pelleret, & Monſtris, ut abirent. Obſcuri inferorum tenebriones ſplendorem Beati ferre non poterant. Totus Orbis hodie miratur Stanislaum, de Elementis, Morbis & Inferis adeò prodigioſum victorem; ſed magis Victorem ſui ipſius. Se ipſum Vincere, eſt de Univerſo triumphare.

BEATIFICATIO,

ET

SOLEMNIS CANONIZATIO

S. STANISLAI.

JAm diu miracula Beatum loquebantur Stanislaum ; & erant lingua cœli. Adhuc judicium Romæ exſpectabat Europa ; nam miracula probant Sanctitatem , & Roma probat miracula. Hoc judicium urgebat Polonia , & Sigismundus III. Ladislaus IV. Joannes Caſimirus ardenter ſupplicabant Romæ , ut ipſis liceret ſupplicare Stanislao. Inſtituit Beatificationis cauſam Paulus V. & Annô 1605. conceſſit , ut viva imago Beati juvenis ſupra ſepulchrum ſtatuatur , quò omnes intelligant , ex hoc to-

tumulo vitam eſſe petendam. Induſit ardentem ad ſacra lipſana lampadem, quæ flagrantiſſimum defuncti Juvenis amorem teſtetur. Permiſit, ut devotus Fidelium affectus etiam votiva dona apponat. Ita annô lapſi ſæculi quinto beatis adſcriptus à Pauló V. quinarium numerum, lunaribus intemperiis Orbi infauſtiſſimum, omnium beatiſſimum expertus eſt Stanislaus, & palàm docuit, nihil infauſtum eſſe virtuti.

Divitias Stanislai, quas Roma non dedit, examinare perrexit Anno 1618. & innocentiſſimi Juvenis negotium Innocentius X. Anno 1646. reſumpſit. Clemens X. ſpeciali favore ſe clementem exhibuit, & Anno 1670. conceſſit, ut Societatis JESU Sacerdotes omnes hunc Societatis JESU in cœlo triumphantis ſocium, & in terra militantis Patronum annuô officiô venerentur. Eundem favorem extendit ad reliquos Poloniæ & Lithuaniæ Presbyteros,

ros, ut honorandiſſimo Patriotæ debitos honores exhibeant. Auxit hanc gratiam, quando Stanislaum, necdum Albo ſanctorum adſcriptum, Anno 1674 Regni Poloniæ Primatem, & Magni Lithuaniæ ducatûs maximum Patronum declaravit. Plus Innocenti Juveni favit Innocentius XI. & ipſe cultu publico digniſſimus, qui Anno 1680. petentibus annuit, ut peculiaris Poloniæ ac Lithuaniæ Patronus etiam peculiari officiô atque oratione colatur. Ultimum Beato Juveni obſequium detulit Clemens XI. erga Societatem Noſtram ſemper obſequioſus, quia Anno 1713. tria inſtantaneæ ſanationis miracula ſuperiùs explicata, dudum orbi probatiſſima, infallibili ſuo calculo approbavit, & annô inſequente 1714. die 13. Novembris ex unanimi Patrum conſenſu Decretum de Solemni B. Stanislai Canonizatione, quandocunque faciendâ, gratioſè addidit.

Demum glorioſo Juveni debitam co-

ronam impoſuit Benedictus XIII. qui in tribus Conſiſtorijs, plenóque Conventu de plenitudine virtutis recognovit, Decretum Clementis XI. Anteceſſoris ſui clementiſſimè confirmavit, & ſupremæ Apotheoſeos ſolemnitati diem ſupremum Anni 1726. aſſignavit. Vix ultimus December illuxerat, viſus eſt Univerſus populus confluere, ut Univerſalis Patroni honores ſuâ præſentiâ augeat. Vaticana Baſilica baſilicè adornata undante primæ Nobilitatis ſpectatore penè fluctuabat. Omnes benedicebant diei, qua ultimos ſanctiſſimo Juveni honores decerneret Sanctiſſimus Papa Benedictus, qui incredibili cum Majeſtate adventabat, medius inter viros Principes, ut Cœli Principem Sanctorum numero adſcriberet. Hanc gratiam *Procurator fidei* tertiùm altâ voce expetebat inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè Annuit S. Papa, & in hæc verba pronuntiavit.

Ad Honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum authoritate Domini Noſtri JESU Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtrâ maturâ deliberatione præhabitâ, & divinâ ope ſæpius imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, & Epiſcoporum in urbe exiſtentium conſilio, Beatos Aloyſium & Stanislaum Confeſſores, ſanctos eſſe decernimus, & definimus, ac Sanctorum Catalogo adſcribimus, ſtatuentes, ab Eccleſia univerſali illorum memoriam quolibet anno die eorum natali pro devotione recoli debere. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM
Numerus paginam ſignificat.

A.

Acûs Magneticæ natura. 154
Æternitas. 47
Alchimia. 113
Amicitia hominum fragilis. 92
Amoris potentia. 241
Amor Matris in prolem. 241
Angelus Tutelaris verus Amicus. 90
Animabus Purgatorij ſuccurrendum. 211
Antipathiæ effectus. 9
Apes lilia amant. 55
Apum ſedulitas & præſtantia. 227.
Arca Noë è cedro. 7.
Architecturæ initium. 227.
Atomiſtarum de anima judicium. 26.
Avium comitia. 75.
Avium Noſocomium. 177.
Aulæ genius. 136.
Auroræ encomia. 171.

B.

Balſami præſtantia. 189.

Belli effectus. 221.
Bombycis labor. 213.
Bona terrena quid ſint? 79.

C.

Carnis adverſùm ſpiritum lucta. 34
Cedri natura 7
Cœli gaudia 205.
Confeſſionis crebræ uſus ſalutaris. 59.
Crucifixi effigies. 246.
Crucifixi effigies liber. 21.
Cultus B. Mariæ Virginis. 157.
Cultus SS. Menſtruorum utiliſſimus. 174.

D.

Dei bonitas in miſſæ ſacrificio. 28.
Deliberatio de vitæ ſtatu neceſſaria. 64.
Deſiderij Paſſionis natura. 149.
Deus faber. 191.
Deus hominem ſibi emit ſuâ paſſione. 5.
Deus in amore omnibus præferendus. 170.
Deus miſericos & juſtus. 235.
Deus neceſſariò unus. 20.
Dignitates quid ſint? 28.

Di-

Divitiæ quid ſint? 29.

E.

Ebrietas vitijs oſtium pandit. 53.
SS. Evchariſtiæ ſumptionis effectus. 137.

F.

Florum & fructuum varia natura. 69.
Fœminæ fugiendæ. 162.
Fortuna inſtabilis. 223.
Fulminis miri effectus. 219.

G.

Gedeon Sacerdos & Miles. 233.
Gemmæ virtutum ſymbola. 198.
Gemmarum pretium. 195.
Gratitudo animalium. 231.

H.

Hæretici locuſtis ſimiles. 84.
Hæreticorum Societas noxia. 84.
Heliotropij natura. 69.
Homo quid ſit? 98.
Horologij deſcriptio. 31.

Horologij in omnes dominium. 31.
Humilitas Chriſtianum decet. 97.
Humilitatis arduitas. 141.

I.

Janus cur bifrons. 134.
Ignis virtutes. 25.
Immortalitatis ſtudium. 207.
Inferni æternitas. 47.
Inferni meditatio. 47.
Ingratitudo. 231.
Innocens nemo, niſi pœnitens. 34.
Jobi patientia. 215.
Ira fugienda. 76.
Iridis deſcriptio. 183.
Judicium Dei ſtrictiſſimum. 238.
Juventus fluxa. 217.

L.

Lampas lenonem prodit. 94.
Libertatis amor. 177.
Libido excæcat. 23.
Lilij deſcriptio. 33.
Lilium Nympharum hoſtia. 55.
Lingua impudica. 15. & 16.
Lin-

Digitized by Google

Lingua impudica in Theatris. 17.
Lingua mentis imago. 16.
Litteræ Parentis ad B. Stanislaum. 117.
Lunæ in mare influxus. 148.

M.

Magnetis natura & effectus. 121.
Margaritæ Geneſis. 1.
B. Mariæ Virginis cultus. 157.
B. Mariæ Virginis in ſuos patrocinium. 157. & 179.
B. Mariæ Virginis potentia. 182.
Maris pulchritudo. 147.
SS. Menſtruorum cultus. 175.
Minima non negligenda. 143.
Miſſæ ſacrificij dignitas. 28.
Morborum in homine multitudo. 208.
Mori in vita diſcendum. 193.
Mors vitæ Echo. 199.
Mors ſpem omnem tollit. 200.
Mortem ſanctam mors ipſa docet. 193.
Mortis cæca crudelitas. 172.
Mortis tempus incertum. 217.
Mundus Jano ſimilis. 135.
Mundus organum muſicum. 44.

Mun-

Mundus periculis plenus. 73.
Mundus ſceleratus. 234.
Muſicæ varietas & vis. 107.

N.

Natales D. Stanislai. 2. & 3.
Navigatio periculoſa. 101.
Nauticæ artis initium. 127.
Nobilitas nihil juvat. 124.
Nobilitas ſine virtute nihil. 115.

O.

Oculi in amore duces. 163.
Olea arbor nobiliſſima. 61.
Organum Muſicum. 37.

P.

Paradiſi felicitas. 205.
Parentes D. Stanislai. 2. & 3.
eorum in educanda ſobole cura. 9.
Parvis ſæpe magna cædunt. 43.
Pati nos docet Deus. 42.
Peccati gravitas. 131.
Peccator Deicida. 132.
Peccator Deum ex corde fugat. 130.

Pec-

Peccator moriens coram judice. 199.
Pharos in nautas benefica. 88.
Philomelæ cantus. 177.
Phœnicis natura. 101.
Pœnitentia innocentiæ jungenda. 34.
Pulveris nitrati inventor. 153.
Purgatorij pœna. 211.

R.

Regularum, ſeu ſtatutorum vis. 245.
Religioſæ vitæ felicitas. 104.
Religioſæ vitæ prærogativæ. 111.
Religioſus ſtatus Arcæ Noë ſimilis. 64.
Roſæ Natura & decora. 159.

S.

Salomon à fœminis corruptus. 22.
Samſon à fœmina ſuperatur. 161.
Sacrificij miſſæ dignitas. 28.
Scanderbegi fortitudo. 233.
Scientia ſine virtute nihil. 23.
Scientia ſine virtute nocet. 24.
Senſuum libertas nocet. 162
Servitium Dei neceſſarium. 11.
Sirenum inſidiæ. 111.

Societas prava declinanda. 85.
Solis encomia. 80.
Sol poſt tenebras gratior. 133.
Specierum viſivarum indoles. 40.
B. Stanislai abnegatio & amor Regularum. 129.
Ejuſdem ægritudo. 185.
Amoris Divini exceſſus. 167.
Conceptio prodigioſa. 2.
Deſideria ſancta. 150.
Digitus incendium ſedat. 243.
Epiſtola ad parentem. 124.
Fuga in ignotas regiones. 77. & 82.
Funus. 197.
Humilitas. 135. & 142.
Humilitas in Convictu Dilingæ. 96.
Miracula. 209.
Mors ſancta. 194.
Mortificatio ſenſuum. 162.
Mortis propriæ præſagium. 174.
Obedientia. 140.
Orationis ſtudium. 34.
Pietas in Angelum Tutelarem. 89.
Pietas in B. Virginem. 156.
Pietas in SS. Menſtruos. 174. & 175.
Pueritia ſancta. 9.

Se-

Sævities in corpus proprium. 33.
Subjectio erga fratrem. 39.
Teſtamentum. 244.
Veracundia. 9.
Votum ingrediendi Societatem JESU. 63.
Zelus. 150.
S. Stanislaus non agnoſcitur à fratre. 83.
Cupit mori feſto B. Virginis. 180.
Dæmonem fugat. 46.
Deliquium patitur. 15.
SS. Eucbariſtia ab Angelis reficitur. 51.
JESUM in brachia recipit. 57.
Inviſitur à B. Virgine. 56. & 186.
Inviſitur à S. Barbara. 51.
Irriſores ejus Sanctitatis puniuntur. 236.
Litteris Patris non flectitur. 114.
Monetur à B. Virg. ut Societatem ingrediatur. 63.
Moriens in terram deponi petit. 191.
Mundi Gazis ſe exonerat. 77.
Romam venit. 102.
Scientiam & virtutem à DEO haurit. 21.
Societati JESU adſcribi petit. 63.
In Eandem adſcribitur. 103.
Tranſit flumen ſicco pede. 84.
Vanitatem mundi agnoſcit. 70.

Vi-

Victoriam Polonis obtinet. 222

T.

Templum Dianæ Epheſinæ è cedro 8.
Templum Salomonis cur è cedro. 7.
Templum Salomonis magnificum. 164.
Timor DEI. 225.
Turpiloquium. 15.
Typographiæ inventor. 153.

U.

Venialis peccati gravitas. 145.
Vinum luxuriæ cauſa. 52. & 53.
Viſio DEI. 206.
Vita hominum brevis. 197. & 216.
Vitis floribus noxia. 52.
Unitatis numericæ vis. 19.
Vocatio rectè perpendenda. 64.
Voluptas quid ſit?

Z.

Zelus Chriſti hominis. 150.

A01 1471391

Digitized by Google

[illegible] by Goog[illegible]

Google

L
B 8